DE PAULINI NOLANI AUSONIIQUE

EPISTULARUM COMMERCIO ET COMMUNIBUS STUDIIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. PUECH

Scholæ Normalis olim alumnus.

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C^ie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1887

DE

PAULINI NOLANI AUSONIIQUE

EPISTULARUM COMMERCIO ET COMMUNIBUS STUDIIS

Coulommiers. — Imp. P. BRODARD et GALLOIS.

DE

PAULINI NOLANI AUSONIIQUE

EPISTULARUM COMMERCIO ET COMMUNIBUS STUDIIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. PUECH

Scholæ Normalis olim alumnus.

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C[ie]

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1887

MAGISTRO CARISSIMO

VIRO OPTIMO ET DOCTISSIMO

E. GASPARD

A. PUECH.

DE

PAULINI NOLANI AUSONIIQUE

EPISTULARUM COMMERCIO ET COMMUNIBUS STUDIIS

PROŒMIUM

Christianos poetas quarti quintique sæculi ut suo quemque pretio æstimes, nihil magis obstare solet quam ea in qua versamur inscitia de eorum vita et studiis. Quæ quoties judiciis nostris nubila offundat, si Prudentium exempli gratia attulero, satis liquebit. Nam cum et quando sese primum ad scribendum accinxerit, et quæ priora, quæ posteriora poemata condiderit plane in incerto sit, qua vero fortunæ condicione sit usus, quibus honoribus tum in Hispania, tum in palatio functus, qua auctoritate in Ecclesia viguerit, vix aucupari e paucis ipsius versibus brevique Gennadii [1] pagina liceat, quis apte et exacte exprimet per quos gradus quasque vices quem tenuit ingenii cursum emensus sit, et quid senserint æquales de Carminibus Cathemerinon, Peristephanonve, aut de Psychomachia

1. De qua re alio loco disserui : *Étude sur Prudence,* ch. I. — Cf. etiam Allard, *Revue des questions historiques,* t. XXXV, p. 345-85.

librisque contra hæreses contraque paganos scriptis. Quam pauca etiam et obscura de Juvenco aut Sedulio, ne Commodianum paulo tempore antiquiorem nominem, accepimus. Quod tamen in tam mediocribus poetis vix desiderandum fateor. Quam incerta de Claudio Mario Victore et Dracontio, potioribus quidem et qui evolvantur saltem non indignis. Ceteros enumerare piget. At contra Paulinum, eorum cum Prudentio agmen ducentem, nec Prudentio minorem, utpote qui varietate, vi, copia, gravitate, non vero ipsa, ut ita dicam, ingenii sinceritate concedat, æmulo non tam impar quam dispar, cognitum melius habere et familiarius nobis contigit. Ea enim erat Paulini tenella et blanda indoles, ut, intima et arcana cordis amicis promere semper paratus, ex sese ipse quasi venis omnibus difflueret, cum Augustino, Rufino, Victricio, Delphino præsertimque Severo epistulas mitteret frequentissimas, easque, etsi nonnunquam quæstiones ad fidem pertinentes tum explicent, tum aliis solvendas afferant, non solum « suavem odorem Christi fragrantes », ut Augustini verba usurpem, sed Paulini ipsius « simplicitatem [1] præferentes ». In eis Paulini vita tanquam in tabula proponitur; deteguntur cogitationes; libere manant e jugi fonte reconditiores sensus et arescere nesciunt. Adde quod poemata, epistulis nequaquam dissimilia, eadem ingenuitate et candore pari eminent. Ex quo fit ut quasi propiorem nobis et artiori necessitate conjunctum Paulinum legentes sentiamus. Cernere licet quam rapido et facili gressu

1. Augustin, *Epist.*, XXVII, 2 (ex editione Migniana).

summos honores adipiscatur, ad consulatum ante Ausonium [1] magistrum provectus. Studia ejus Burdigalæ ab Ausonio qua ratione fota, et quousque promota fuerint, tum ex ipso, tum ex Ausonio perspicimus. Therasia uxor, quanquam forsan non ut libeat qua fuerit natura et qua auctoritate apud [2] maritum valuerit omnino patet, non idcirco quid senserit et egerit omnino ignoramus. Quibus causis et casibus raptus, quibus meditationibus versatus, qua permutatione animi affectus, sæculari vita contempta, litteris abdicatis, fide firmata, amicos patriam, fortunas omnes deseruerit intuemur. Hebromagum et Burdigalam non sine secreto furtivus linquit; Hispaniam petit, ibique cum Therasia quatuor fere annos [3] commoratur. Mox, patrono Felice, ut putat, eum Nolam vocante, a Lampio episcopo Barcinonensi jam presbyter ea condicione [4] creatus ut nulli ecclesiæ alligaretur, in Italiam navigat. Abhinc annos [5] XXVII, anno CCCCIX demum ad episcopatum provectus, Nolæ, apud Felicis sepulcrum, degit in monasterio [6] quod condiderat. Cum autem pæne omnes quæ pervenerunt ad nos epistulas, haud secus ac pæne cuncta poemata, in Nolano secessu composuerit, pæne totum hoc Paulini vitæ spatium, in ultimis tamen annis non tam copiose, fusius etiam

1. Ausone, *Epist.*, XX, 1-6 (edidit K. Schenkl Monumenta Germaniæ historica : Auctores antiquissimi, V, pars 2).
2. De qua re mox fusius disseram.
3. 390-394. Cf. Ebert, *Geschichte der Christlich-lateinischen literatur*, p. 285.
4. Paulin, *Epist.*, I, 10. — Qua condicione videtur adversus Paulinum Siricius, pontifex Romanus, motus fuisse, a quo se pessime acceptum Paulinus narrat., *Epist.*, V, 13.
5. Mortuus est enim anno CCCCXXXI.
6. Paulin, *Ep.*, V, 15.

enarrare et enodatius explicare possumus, quam quæ antea gessit aut sensit, in universum quidem, at non ex omnibus partibus nota. Denique, ne finem quem habuerit ignoremus, non multo post ejus mortem, Uranius presbyter, discipulus ejus et familiaris, funebris laudationis instar, epistulam Pacato cuidam misit de Nolani episcopi obitu, felici casu ad hunc diem [1] servatam.

Igitur et hunc qui Paulini opera æstimare velit, vitam ejus perspexisse, et illum, qui vitæ exponendæ studeat, opera penitus indagasse necesse est, vel, ut dicam verius, nec de vita disserere potest nisi qui simul carmina et epistulas enarret, nec carmina epistulasque narrare, nisi qui de vita disserat. At ego partem unam, tum vitæ, tum operum Paulini longius explicabo, nempe eam vitæ partem quæ intra annum CCCLXXXIX et annum CCCLXXXIV excurrit, operaque eodem spatio comprehensa. Illud enim præsertim apud Paulinum nos attentos tenet et movet, scilicet ut e sæculo ad clerum migraverit, et ab admiratione litterarum profanarum quas optime callebat, et amantissimo cultu prosequebatur, ad unicum Scripturæ studium se transtulerit; quam mentis morumque correctionem non nisi vicibus multis et casibus, nec sine turbidis et concitatis, quantum in animo ceterum molli et placido vacabat, motibus perficere valuit. Hi autem motus qui fuerint non vana et sterili cupiditate elatus investigabit qui meminerit non minimum fuisse eorum numerum qui, quarto sæculo, simili fluctuatione sus-

1. In Mignii *Patrologia Latina*, LIII, col. 859 sqq.

pensi, et inter litterarum cultum, sacris antiquis tam arte conjunctarum, Christique verba dubii, pari ardore incensi, desideriis paribus implicati, eamdem quam Paulinus iniit viam paulatim ingressi sunt, eorum autem rationes, nisi Paulini, Hieronymi, Augustini, et, ne quem alium prorsus omittam, Victorini illius [1] per Augustini Confessiones noti, exemplis utamur, plane a nobis ignorari. Quin etiam, ut aliquid discriminis inter Paulinum, Hieronymum, et Augustinum, Victorino, non per se ipsum noto, seposito, constituam, non ita tamen ut quæ dixerim ad amussim redigi velim, eosque tanquam vallo impervio segregari, liceat contendisse Augustinum, Christi semitam ingressum, philosophorum præsertim libris, Ciceronis scilicet Hortensio Platonisque dialogis, Hieronymum oratorum, poetarum vero Paulinum tardatos esse. Quæ cum ita sint, in eo operæ meæ summam hærere et ipsum cardinem verti patet, ut quomodo et quamdiu profana poesis Paulini fidei obstiterit, ostendam, quod quidem non nisi Paulini Ausoniique epistulas evolvam, fieri poterit. Ceterum necesse erit inspexisse quibus studiis, ante annum CCCLXXXIX, Ausonio duce, Paulinus incubuerit, necesse etiam inquirere quid, post annum CCCCXXXIV, de profanis litteris judicaverit, quamque vim studia, quæ eis impertiverat, apud eum eo tempore servaverint quo christiana carmina conderet. Ista enim ad illustrandas poetarum christianorum rationes, et æstimandam virtutem, non parvi momenti esse videntur; quæ tamen, ne

1. *Confess.*, VIII, 219.

extra limites propositi mei exspatier, non latius quam decebit, et, ut aiunt, extremis tantum digitis attingam.

At mihi non tam nova proferre, — quis enim in re sæpius tractata, nisi qui deperditam Ausonii epistulam de qua mox dicturus sum, præter spem reperiret, nova omnino proferre tentaret? — quam quæ jam ab aliis summatim notata fuerunt partim diligentius scrutari, partim etiam emendare in animo est. Ne vero omnes, quicumque de conciliata diu, postremoque turbata ac dissoluta amicitia, quæ inter Paulinum Ausoniumque intercessit, plurimi egere, jamjam proferam, cum suo quisque loco mihi (quod saltem ad principes attinet), dein commemorandus sit, aliquid tamen est, quo melius quod aggressus sum tuear, de nonnullis adumbrandum. Primum igitur, ineunte sæculo octavo decimo, qui Sacrorum Scriptorum Historiam scripsit D. Ceillier [1] ea quæ tractavit scripta in breve coacta gallice referre, sedulo, fateor, quam de illis per se ipsum judicare maluit, nec ab ista ratione, historico forsan, at critico parum convenienti, abhorruit qui laudabili cura, judicio ut recto ita tamen mediocri, Historiam litterarum gallicarum composuit D. Rivet [2]. Qui autem Paulinum emendandum ejusque vitam peculiariter explicandam suscepere, apud nos, post [3] Chifflet, Lebrun des Marettes [4], apud Italos [5]

1. *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques* (1730). Cf. X, § 17.
2. *Histoire littéraire de la France* (de Paulino Nolano, t. II, p. 179 sqq).
3. Paulinus illustratus, Divione, 1662.
4. Editio Paulini, 1685 (Parisiis).
5. *Id.*, 1736 (Veronæ).

Muratori, sane non pauca nec inutilia in variis [1] dissertationibus congessere, at, cum in ordine rerum gestarum enucleando unice operam consumerent, nihil jam ultra solliciti, eam partem quæ ad crisin scriptorum spectat, temporibus nostris tanti momenti habitam, omnino neglexere. Ceteroquin nescio an Galli nostri, quos nominavi, utpote qui septimo decimo et octavo decimo sæculo vixerint, ea tantum quæ ex Augusti ætate manavissent admirari assueti, ceteraque ad hanc normam etiam diversissima redigentes, Paulini carmina, vel ipsorum reclamante religione, maximi [2] pretii habuerint. Muratori autem, Itala magniloquentia non integer, quod pace doctissimi et de Paulino optime meriti viri dictum sit, eum passim immoderatis et quas approbare parum conatus est, laudibus cumulavit [3]. Nostro dein sæculo, cum nemo ad hunc diem, ita tamen ut proxime Vindobonensis Academia, in corpore Ecclesiasticorum scriptorum Latinorum quod curat, hanc incuriam se pensaturam [4] polliceatur, Paulinum iterum ediderit, plures contra in hoc elaboravere ut illius ingenium et indolem in claram lucem ponerent. At J.-J. Ampère [5], qua erat mobilitate et levitate

1. Quas videris in editione Migniana (*Patrol.*, t. LXI).
2. Cf. præsertim *Hist. litt.*, t. II, p. 190.
3. Cf. ejus prolegomena in tres Natales quos primum in lucem edidit.
4. Paulini editio, post mortuum J. Zechmeister a G. Hartel suscepta, ut prelo parata in catalogis Geroldi, bibliopolæ Vindobonensis, jam significatur. Cum autem non prodierit, usus sum editione Migniana, partim ex editione quam curavit Lebrun des Marettes, partim ex editionibus Muratorii et Mingarellii conflata; adhibitis insuper criticis copiis quas E. Chatelain in *Notice sur les manuscrits de Paulin de Nole* (fascicule 14 de la bibliothèque des écoles françaises de Rome et d'Athènes), præbuit.
5. *Histoire littéraire de la France avant Charlemagne* (I, ch. VI, Ausone; VII, Paulin).

mentis, et qui per transennam, ut aiunt, omnia, adspicere soleret, vir nihilominus argutus et subtilis, multa de Paulino parum cocta, multa simul non insulsa temere et ex tempore profudit, primas lineas ducere potius quam totum ponere natura doctus. Multo accuratius et solita subtilitate, vir de christianorum litteris optime meritus, G. Boissier [1], summatim Paulini vitam evolvit carminaque enarravit; verum non eo proposito ut quæcumque ab eo vel gesta vel scripta sunt his annis, de quibus ego potissimum disserui, singillatim exsequeretur. Liceat etiam, pace judicis tam urbani argutique, dixisse eum, quanquam plurimas Nolani episcopi virtutes aptissime laudavit, non usque ad eum præconii finem processisse quem credo fidenter peti posse. Si cum Ebert [2], qui rem et ipse tractavit litigare velim, eum quoque, cum de Prudentio rectius judicarit, Paulino minus æquum fuisse forsan contenderim. Sed hoc potius tantum animadvertam illum, longioris operis impetu raptum, breviorem consulto fuisse quam alterum decet, qui cum uno Paulino rem habeat. Quod tamen ad epistularum commercium inter Paulinum Ausoniumque institutum attinet, Ebert plurima recte et acute statuit, mihi supplenda, non corrigenda. Hoc denique notatum velim, Schenckl, in editione [3] Ausonii quam nuper curavit, nova quædam de harum epistularum ordine procudisse,

1. *Revue des Deux Mondes*, 1er juillet 1878, les Saints français : Saint Paulin de Nole.

2. *Geschichte der Christlich-lateinischen Literatur.*, I, p. 283-300. Apud Germanos etiam memorandus est Buse : *Paulinus von Nola und seine Zeit.* (2 vol. Regensburg, 1856).

3. Ausonium ex ejus editione retuli (Monumenta Germaniæ historica : Auctores antiquissimi, V, pars 2).

quæ mihi perpendenda sint. Istorum contra libros, qui in Paulino judicando sanctitatem vitæ, non poeticas ingenii dotes considerare sibi proposuerunt [1], neglegendos esse putavi.

1. Exempli gratia afferam : F. Lagrange, *Histoire de saint Paulin de Nole* (Paris, 2e édition, Poussielgue, 1884), licet hic liber multo majoris pretii sit quanti solet esse talis farrago.

CAPUT PRIMUM

STUDIA PAULINI AB AUSONIO QUOMODO RECTA FUERINT

Cum jam vetere necessitudine Ausonii Paulinique parentes conjuncti [1] essent, cum simul esset Paulinus adulescens non tantum eximia spe ingenii præditus, et qui bonam frugem polliceretur, verum etiam modestus, verecundus, frenos sequens, et qui magistrum summa observantia coleret, non alio Ausonius discipulo, Gratiano Augusto excepto, magis gloriatus est. Non omittam Paulinum clarissimo et locupleti genere ortum esse memorare, quod sane Ausonium non parum movit, cum nobilium virorum commercio tam libenter uteretur, et Valentiniani favore, ei Gratianum [2]

1. Ausone, *Ep.*, XXV (Schenkl), 9 sq. :

.....Jugum quod uterque parentes
Ad senium nostri traxere ab origine vitæ,
Impositumque piis hæredibus usque manere,
Optarunt dum longa dies dissolveret ævum.

Ceterum, quod ad priorem Paulini vitæ partem spectat, de qua non ex professo disseram, quæcumque maxime conspicua in propositum meum videbuntur esse, ex jam notis excerpens, liceat ad eos, qui, veluti Ebert, breviter (p. 283. sq), aut Buse latius (I) Paulini vitam exposuere, legentem revocare.

2. Ut liquet e Gratiarum actione pro consulatu habita, nec non ex Epistula IV ad Theonem missa, in qua, cum, fateor, jocetur, non

committentis, tantopere elatus sit. Liceret igitur, vel si amborum epistulis defrudati essemus, suspicari Paulinum ab Ausonio peculiari cura fuisse institutum. At ne quibus præcipue artibus eum Ausonius exercuerit ignoretur Ausonii ipsius opera præsto sunt. Tum enim ex aliis, tum imprimis e commemoratione Professorum Burdigalensium apparet quæ in scholis [1] Aquitanicis disciplinæ potissimum claruerint. Quæ cum singula evolvere hoc loco alienum sit, tantum quæ ibi fuerit in universum studiorum ratio indicandum est. Grammaticis autem et rhetoribus inter se totum doctrinarum spatium partientibus, hi mediocri, illi vero nimia fama usi videntur, et non sine fastidio quodam horum plerosque posteris commendare Ausonius solet, cum illos tot laudibus prosequatur, ut virum decebat e grammaticorum caterva, ubi primum potuerat, in rhetorum chorum [2] elapsum. Historicorum libros etsi persæpe laudat, nonnunquam etiam in metri leges partim redigit [3], non tam, credo, ob rerum notitiam quam ut aliquid nitoris et copiæ orationi afferrent, aut aliquid materiæ carmini, Ausonius versaverat. Eos enim qui reconditiore eruditione pollebant, « assiduos in igno-

tamen sine ingenua quadam jactantia hoc exordio usus est : Ausonius cujus ferulam nunc sceptra verentur...

1. Quæ nuper, ne alia referam, breviter et lepide notata sunt a G. Boissier : L'Instruction publique dans l'empire romain (*Revue des Deux Mondes,* mars 1884, p. 336-337). Cf. etiam, 1er juillet 1878, p. 55.

2. Ausonius enim primum grammaticam, dein rhetoricam artem Burdigalæ docuit. (Cf. præfationem ad Syagrium, 15). Vide etiam quam dissimili stylo utatur, nunc de Tiberio Victore Minervio, aut de Attio Patera, nunc de Leontio aut Marcello grammaticis loquens ; grammaticos sane omnes, veluti Marcellum, « prætenuis meriti » esse existimans (*Professores*, Schenkl, p. 55-71).

3. Veluti in Cæsaribus (XXI).

ratis libris », « operta legentes », « opicas chartas tineisque exesas » evolventes, non nauci fecit neque cicci, si modicis laudibus, levi et faceta irrisione adspersis, quas Victorio vovit, Burdigalensium scholarum [1] subdoctori, fides adhibetur. Nec aliter de philosophis sensit, Platonici Pythagoricive dogmatis non inscius si prima specie judices; cum vero propius inspexeris, non aliis nisi tritis et vulgivagis sententiis ex usu scholastico ditatus, quibus Ludum VII Sapientum, Ναί καὶ οὔ Pythagoricum et aliam hujusce generis farraginem concinnaret. Quid quod ne Græcam [2] quidem linguam, ut fatetur, optime didicerat, nedum doceret, parum raro, hoc tempore, in occidenti fastidio impeditus. Paulinus igitur, qui discipuli docilis vice, magistri virtutes et vitia simul, iis quæ ad religionem attinent exceptis, per se ipse expressit, neque se multum in historia exercitaverat, licet Suetonii [3] compendia perlegisset, neque philosophiæ erat nisi mediocriter [4] peritus, neque in Græcis litteris plus quam tirocinium meruerat. Nam et Sulpicio Severo, ab eo quæcumque ad scribendam [5] Sacram Histo-

1. *Professores* (22).

2. Cf. G. Boissier (*l. c.*). *Augustini Confess.* (I, XIII). Nullo quidem jure E. Vinet (præfatio editionis anni 1580) : « Nullam Ausonius disciplinam ignoravit... etc. » Aut Everat (de Ausonii operibus et dicendi genere, thesi apud Claromontensem facultatem disputata, 1885), p. 63 : « Ausonius primo Græcos auctores ita meditatus est ut ejus oratio Græco quasi colore fucata sit ». — Nil enim probant ridiculi versus portentosis verbis, et Græca et Latina parte constantibus, ornati.

3. Ausone, *Ep.*, XIX.

4. Non possum enim quin a Bœhr dissentiam, dicente (*Die Christlich-lateinischen Dichter und Geschichtschreiber* : « Paulinus, ausgerüstet mit der Kenntniss der ælteren classischen Literatur, *namentlich auch der philosophischen...* »

5. Paulin, *Ep.*, XXVIII, 5.

riam colligere avebat sciscitanti respondere diffidit, et Jovii, viri, ut videtur, in doctrinis philosophorum satis versati, magis movere pectus quam mentem convincere, epistula [1] et carmine ad eum missis, quæ non sine jure sæpe laudantur, aggressus est, et a Rufino, cum quoddam [2] Clementis opus Latino sermone reddidisset, neque semper Clementis verba recte intellexisse videretur, amice quidem sed libere correptus est. Iis ergo Burdigalenses magistri, Ausoniusque præsertim præerant studiis, quibus non tam ad rerum scientiam quam ad orationis facultatem juvenes formarentur, « promptis [3] studiis », ut Ausonius dicebat, in quibus nihil abstrusi, nihil laboriosi inesset; quæ mentem potius dulcedine quadam retinerent et recrearent ad summa summorum tantum scriptorum exemplaria attentam, quam lectione plurima augerent, et locupletarent, aut meditatione firmarent et roborarent; iis denique, quæ Quintilianus commendavit, non absona essent, et hoc uno ab iis diversa quod paulo plura Paulinus Ausoniusque legebant, scilicet non eorum solum qui post Quintilianum provenerant opera, sed et vetustiorum qui Frontonis, Hadriani et talium virorum cura in pristinum honorem restituti erant. Et hoc notare non parvi refert, eam viguisse potissimum his temporibus in Aquitania instituendorum puerorum rationem, quæ tum virtutibus, tum vitiis, non procul abhorreret ab ista, quam nostrates quoque diu in Gallia, nostra ætate, dominatam alii

1. *Ep.*, XVI; *Carm.*, XXII.
2. *Ep.*, XLVI.
3. Profess. De Victorio, subdoctore.

profecto nimis extulere, alii tamen incessere nimis; qua vigente, acuebantur, et limabantur, et nitescebant ingenia juvenum non sine alacritate quadam et hilaritate studentium, nullam vero doctrinam altius scrutantium. Ergo cum essent circa inania nimis occupati, et in cogitando manci atque leves, et optima quæque primoribus tantum labris gustarent Burdigalenses doctores, non dubito quin Ausonius, et viro, quod e Gratiani[1] exemplo elucet, et poetæ, quod e Paulini, his quidem nominibus dignis informandis, impar plane fuerit.

At Paulinus non is erat qui publicis tantum scholis et communibus omnium studiis vacaret, verum is potius qui Ausonii, tanquam Alypius Augustini, quotidiana et familiari consuetudine uteretur, mox non auditoris, sed amici vicem acturus. Quid autem Paulinum, in hunc domesticum usum acceptum, ultra vulgares scholarum disciplinas docere; quæ illi doctrinæ arcana, non nisi carissimis discipulis seposita, tradere Ausonius valebat? Poesim sane; at quod poesis genus? Cum sit jam non semel nec[2] parum apte de illius carminibus disceptatum, non est ut tali argumento longius inhæream. Hoc saltem monitum velim, minus a ceteris notatum, non apud alium quam apud

1. Vide quomodo Ausonius ipse de Gratiani institutione in Gratiarum actione pro consulatu nos docuerit. Non aliam ob rem magis lætabatur quam ob has litteras, tam perfectas, et dignas magistro, quibus imperator eum qua ornaretur dignitate certiorem fecerat. Has in ipsa oratione refert, membratim repetit, quæque verba miratur, omnes earum delicias excutit. Credas non consulem, sed magistrum quæ optime ab optimo discipulo excogitata invenit aliis e cathedra prælegentem et venditantem.

2. Cf. Bayle (*Dictionnaire,* article Ausone), Ausonio satis faventem; J.-J. Ampère (I, ch. vi); Demogeot, thèse sur Ausone, Bordeaux, 1838.

Ausonium ipsum de illis judicium quærendum esse. Non alia quidem ea esse quam scholastici ludicra quasi feriis habita sæpius ficto, interdum ingenuo candore confessus est. Tum enim Drepanio a se carmen minimi tantum pretii, « burras, quisquilias [1], ineptiasque, » mitti conqueritur. Tum Gregorio, postquam eam vidit et miratus est tabulam quam ad explicandam Eglogam de Cupidine Cruciato, putido at non invenusto stylo exaratam composuit, se « mirandi stuporem *ad ineptiam* [2] poetandi » transtulisse jocatur. Nec non Griphi pudet eum, futilis sane et ridiculi carminis : « Accipe », inquit, Symmachum alloquens, gravissimum ut hujus temporis et, quanquam vitiis æqualium nequaquam integrum, tamen in istis paulo minus stupentem, « Accipe hæc frivola gerris Siculis vaniora [3] ». Optimo etiam jure ei Cento Nuptialis inane opusculum videtur « quod ridere magis quam laudare possis; pro quo, si per sigillaria in auctione veniret, neque Afranius naucum daret, neque ciccum suum Plautus offerret... » At si præsertim epistulam ad ipsum Paulinum missam, cum ei Technopægnion dicaret, perleges, senties nonnunquam eum vero, etsi parum firmo, harum ineptiarum tædio motum esse : « Dic ergo : o mora et pœna! Rem vanam quippe curavi... Laboravi tamen ut historicon quippiam aut dialecticon hæreret... ad summam non est quod mireris, sed, paucis litteris additis, est cujus miserearis, neque æmulari velis; et si huc quoque descenderis, majorem

1. XXIII, 5.
2. XXIV, in Præfatione ad Gregorium.
3. XXVI, Epistula ad Symmachum.

molestiam capias ingenii et facundiæ detrimento, quam oblectationem imitationis [1] affectu. » Quæ licet, ut jam fassus sum, partim pudoris simulatione et quasi modestorum lenocinio quodam verborum dicta sint, nihilominus subest iis nonnihil tam sinceri quam recti judicii. Nec aliud quidquam Ausonio magis favet, aut critico, ob assuetam illius futilitatem in irrisionem aut acerbitatem prono scrupulum novet; ægre enim salsioribus quam ii quibus sese ipse Ausonius adspersit, salibus lepidum poetam prosequatur, nec melius « scrupeam difficultatem [2] », aut « miseriam [3] concinnandi », aut « logodædaliam [4] » deploret; aut similitudine aptiori utatur quam ea qua ille Centonem Nuptialem ludicro quod Græci ὀστομάχιον vocant comparavit [5]. Ceterum multa sunt Ausonio ignoscenda, utpote ei qui, professoris munere diutius fuerit implicatus et in rhetoricis artibus paratior, quam ut simplicem illum ingenii nitorem, et candorem servare potuerit, poetæ necessarium; eique qui jam senior cuncta fere quæ hodie legimus poemata condiderit, cum ipse sese notissimo proverbio excuset : Δίς [6] παῖδες οἱ γέροντες. Illæ saltem ei erant virtutes præcipuæ, scilicet acumen, urbanitas, quibus adeo præstiterunt his temporibus Aquitanici; quibus Paulini, Sulpiciive Severi, non [7] aliter atque

1. XXVII. De duobus Technopægnii præfationibus, altera Paulino, altera Pacato dicatis, cf. Schenkl, p. xvi. — Cf. etiam in *Ep.*, IV, ad Theonem, 7 : accipe congestas, mysteria frivola, nugas.
2. XXVII, *Ep.*, Paulino.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*, 13 (Grammaticomastix).
5. XXVIII, in præfatione ad Paulum.
6. In præfatione Centonis.
7. Cf. G. Boissier, *l. c.*, § 1.

Ausonii scripta clarescunt. Se ipsum novit, et derisit jucunde, et temporibus suis genioque suo vel ultra modum indulgens, modum tamen novit, etsi transgressus est, nec sine illecebris, erroris sibi conscius, erravit. Quidquid id est, absit ut pro non litigante reo ego litigem, et longiora verba faciam pro burris :

burris, quisquiliis, ineptiisque.

His igitur sacris initiatus Paulinus, Ausonii vestigia pius mystes incessit, nec ante annum CCCLXXXIX severiora affectavit. Cum plura sane et multo plura hoc tempore composuerit, tria tantum ad hunc diem pervenere profanorum Paulini carminum fragmenta. Quorum si duo ad Gestidium [1] missa primum leges, hominem videbis licitis sæculi voluptatibus adhuc irretitum, hilarem, amabilem, amicis xenia lepidis versibus ornata mittentem, nec per se ipsum nova et propria inquirentem, sed Ausonii tantum exemplum imitatum. Quid enim magis solitum Ausonio et ejus ingenio melius congruens, quam ista ficedularum, aut turdorum, aut anatum munuscula, et elogia musculorum, et ostreorum laudes [2]? Quæ quidem blande et facete Ausonius concinnavit, nec Martialis aut Statii virtutibus nimium caret, aut vitiis nimium abundat, ut in hujusce [3] generis jocis. Paulinus autem, ut dicam quod sentio, quo tempore iis indulgebat, tum majorem verborum curam, et attentiorem circa metri non tam

1. *Carm.*, I, II.
2. Cf. *Epist.*, III, ad Hesperium; VI, ad Theonem; IX, Paulo.
3. Exempli gratia sit Epistula III, aut Epistula IX.

leges, quas nunquam contempsit, quam veneres et lepores, diligentiam habuisse mihi videtur, quam posterioribus annis, christianæ poesi deditus habuit; tum contra non ad limatiorem artem pervenisse qua Ausonius utebatur, nec carmina unquam ad unguem perfecisse. Licet enim in tanta versuum paucitate strictiorem sententiam dicere temerarium sit, tamen, si summo jure agere voles, unum aut alterum incuriæ vestigium [1] reperies. At fateri pluris refert inesse iis multum elegantiæ, quam non abesse quoque affirmandum est isti Poematis de Regibus ex Suetonio collecti fragmento, ab Ausonio, in epistula ad Paulinum [2], laudato. Qui versus ceterum cum sint plane odiosi et frigida non minus quam parum alta, ut supra dixi, quæ Ausonio propria est eruditione farti, hoc præsertim notandum est, Paulinum in hoc carminum, si tamen ea carmina sunt, genere elaboravisse, in quo Ausonii tetrasticha [3] de Cæsaribus versantur. Aliud autem eum ostendit se totum magistro tradidisse, et lascivientem illum non molestius tulisse, atque etiam aliquatenus miratum esse, scilicet Technopægnii dedicatio, cujus gratia vel futilissimum poema accipere non dedignatus est. Neque minus patet ex epistula ad eum ab Ausonio, Philonis negotiatoris causa, missa, eum vel comicis tum temporis deditum esse, cum illa Plautinis Terentianisque [4] verbis scateat. Adde eas, quascumque Ausonius ante annum CCCLXXXIX

1. Sic duo in poematis primi, ceterum elegantis, fine positi versus, verborum quodam onere laborant.
2. *Ep.*, XIX.
3. E Suetonio quoque collecta.
4. *Ep.*, XXI.

carissimo juveni epistulas [1] scripsit, singulari cura limatas, minutissime elaboratas, et quasi Mentoris cælo adhibito absolutas, adeo inter ceteras excellere, ut ne Probum quidem vel Symmachum majori arte affectata alloquatur; quod sane indicat diu fuisse Paulino supercilium satis superbum. Sese enim jam ab eo Ausonius æquatum credit [2], et pæne superatum fingit; et rarissime, magistri vicem agens, nec nisi caute et leniter reprehendit [3] eum et docet.

Igitur, his annis, neque Ausonius primum, ceterum, ut mihi videtur, non sagacissimus hominum æstimator, et tum scholastico umbraticisque doctoribus non insueto candore, tum nimio sui ipsius amore et ostentatione, quibus haud raro mens occæcatur, impeditus, neque forsan aliquis acutior facile auguratus esset quibus fatis Paulinus asservaretur. Vix uno, uno tamen indicio qui nisus esset, nonnihil in futurum prospicere potuisset; quod indicium Ausonium ipsum non omnino fugit, etsi ei lucem non porrexit. Hanc significo « melleam modulationem [4] », qua amici versus eum juvabant. Etenim, si quid conjecturæ tribuere licebit, et ex iis, quas Paulino post Nolanum secessum tam peculiares fuisse novimus virtutibus, aliquid in prioribus annis, ut verisimile est, prominuisse jam existimabimus, quidni dicemus sub hac, quam Ausonius laudat, « mellea modulatione », illam, quæ Augustino deliciis futura erat, « pieta-

1. *Ep.*, XVIII, XIX, XX, XXI. — XX et XXI imprimis.
2. *Ep.*, XVIII, sub fine; *Ep.*, XIX (11). Cedimus ingenio quantum præcedimus ævo.
3. *Ep.*, XX.
4. *Ep.*, XVII, XIX.

tem [1] gemebundam », latuisse? Non numerorum venustatem, verbaque ad sonum exquisita, et canorum versuum flumen ab Ausonio indicata esse puto, verum caritatis, amoris fontes scaturientes quos, cum apud Paulinum seniorem tam largo fluctu abundaverint, non est cur, quoad juvenescebat, aruisse omnino credamus. Nec non alio loco illius « facilitatem [2] benignam » Ausonius celebrat. Inerat quidem jamjam, vel inscio et in his scholarum angustiis clam æstuanti, mens quæ tanquam secreto acrique humore vegeta in novos fructus succi melioris gemmaret.

Ausonio tamen nil præsagibat animus, in placida spe fiduciaque acquiescenti. Dulcissimos interea et beatissimos annos duxisse videtur, quibus et caritate erga magistrum, et ingenii lepore, et honorum dignitate, Paulinum sensim proficientem non solum intuitus est, verum etiam enixe promovit. Omnibus enim virtutibus non minus quam vitiis abundavit, quæ, cum scholastici semper iis eminuerint, Plinius jam notissima [3] epistula notavit; et plane ex hoc hominum genere fuit « quo nihil est sincerius aut simplicius aut melius ». Quod fere e cunctis ejus poematibus elucet, verum præcipue iis quæ Parentalia, et Commemoratio Professorum Burdigalensium, et Protrepticon Genethliaconque ad Nepotem, et Epicedion in patrem inscribuntur, atque ex omnibus, ne quatuor quidem quæ ad Theonem missæ sunt, exceptis epistulis, ostenditur. Ergo Paulinum loco filii acceptum non minori quam

1. Augustini, *Ep.*, XXVII. Cf. J.-J. Ampère, p. 273.
2. *Ep.*, XXI, initio.
3. *De Isæo* (II, 3).

Hesperium, quem ex animo dilexit, amore amplexus est, ejusque nomen [1] Hesperii nomini sociare solebat. Non invidit ei consulatum citius magistro ineunti; at contra lætatus est, eoque plenius et verius quod eum imperatori [2] commendavisse videtur. Præclaram sane et quæ nos moveat amicitiam, et talem qualis esse solet apud virum jam senescentem, proprias spes in junioris caput tanquam transferentem, gavisumque cum eum invenerit qui fore ut magistrum ingenio posthac referat polliceatur. At Ausonium manebat subitus inexpectatusque luctus, et instabant tempora quibus gratissimum errorem agnosceret. Nunc vero mihi ad illud rerum discrimen variosque eventus properandum est, quæ propius inspicere mihi proposui, et, ut quædam Ausonii verba in hunc locum transferam,

> Nunc dolor atque cruces [3] nec contrectabile fulmen.

1. Cf. præsertim, *Ep.*, XXI, sub fine prioris partis, prosa oratione scriptæ. — *Ep.*, XIX, si erro, pater sum.
2. Ausone, *Ep.*, XXI (3 sqq). Cf. Ebert, p. 284.
3. XV (Parentalia. — De morte uxoris).

CAPUT II

QUOMODO PAULINUS AB AUSONII AMICITIA SE REMOVERIT, LITTERARUMQUE GENTILIUM STUDIA ABDICAVERIT

Paulini parentes jam et ipsos Christianos fuisse cum ex quadam [1] epistula Paulini pateat, etsi aliis indiciis quoque comprobetur, non est in minime dubia disputatione commorandum. Neque mirandum est nisi ei qui tempora quibus vixere omnino ignoret quam fuerint incerta, et nesciat qui soleant esse transitus rerum, cur filium tam sollicite profanis litteris institui jusserint, at contra ne baptismo [2] quidem ut sanaretur videantur curavisse. Obstabat enim adhuc sæpius apud plerosque fidei christianæ inter alia multa honorum publicorum cupiditas, et, quamquam non est cur Paulini parentes eorum numero adjungamus, quos Augustinus notavit, baptismo potius moram quam gradum addi volentes, cum aliquid voluptati concedendum et paulo magis laxandas junioribus habenas putarent,

1. *Ep.*, XII, 12.

2. Quando Paulinus baptismo initiatus fuerit parum certum est. Eum tantum Delphini munere ante Hispanensem secessum baptizatum fuisse constat. Cf. Chifflet, *Paulinus illustratus*, p. 140.

neque illos puderet, quos, ut ita dicam, Miciones christianos non immerito vocaveris, dicere: « ... Sine illum faciat [1] quod vult; nondum enin baptizatus est... », saltem eos valde optavisse necesse est ut ad munera quæ juvenem clarissimo genere ortum decerent et manerent mature informaretur, neque æqualibus æmulisque circa Symmachum, Prætextatum ceterosve hujusce eruditionis viros stupentibus, impar unquam videri posset. Quare eum Ausonio tradere non nefas putaverunt, in epicis tamen vel comicis magis quam in Scriptura exercitato. Erat sane christiano nomini addictus Ausonius, neque ullo jure rem non adeo obscuram vel alii negavere, vel alii etiamnunc tanquam male illustratam repetunt [2]. Nam ei neque oratio in

1. *Confessiones*, I, xi, 12.

2. Quæ cum ita sint, non alio loco quam in notula mihi in memoriam revocandum est qui præcipue de Ausonii fide christiana disseruerint, et sententiis discrepuerint. Primum enim apud nos olim Tillemont, *Hist. des Emp.*, V, p. 184, dein Baillet, *Jugements sur les poètes*, II, p. 470, et præcipue De la Bastie in dissertatione de Summo Imperatorum Pontificatu quarta (Mémoires de l'Académie des inscriptions, XV, 125-138), dein recentius apud Germanos Speck (*Quæstiones Ausonaniæ*, Breslau, 1874), quæcumque adversus eos qui christianum fuisse Ausonium putant, disputari possunt, congessere. At jam Bayle (article AUSONE, remarque D), cum magis integro animo, dogmaticis scrupulis vacuus, judicaret, rem ceterum non ita recto et simplici (quo Tillemont viguit), quam subtili et acuto ingenio explicandam, meliori eventu tractavit. Cujus opinioni J.-J. Ampère (p. 247 sqq.) consensit, et optime post eum ostendit quomodo apud Ausonium, nec non apud plures Ausonii æquales, tot hiulca congruerent, tot absona concinerent, et ea ipsa quæ De la Bastie aut Tillemont omnino contraria putavissent, convenirent tamen et cohærerent. Denique cum nuperrime eidem sententiæ accederet, in thesi apud Claromontensem litterarum facultatem disputata (De Ausonii operibus et dicendi genere) E. Everat, epistulam a R. Dezeimeris salsissime et rectissime conscriptam ab eo publici juris factam esse non omittendum est. — In Germania Mertens (*Quæstiones Ausonianæ*, Lipsiæ, 1880) argumenta quæ Speck protulerat confutavit. Cf. etiam Boissier, *l. c.*, p. 60.

Ephemeride posita, neque Versus Paschales [1] abjudicari possunt, et insunt ceterum [2] multa in aliis carminibus quæ vix aliter intelligi queant. Etenim cum nullo modo quæcumque inter se dissentiunt ex Ausonii operibus tollere possis, multo facilius credas eum, vel christianum, ea quæ parum christianæ fidei congruunt, quam, christianæ fidei repugnantem, ea quæ christianum redolent, scripsisse. Quin etiam nescio an iis, si qui sunt, quibus etiamnunc libeat nodum in hoc scirpo quærere, magna verborum cavillatione opus sit, cum saltem non fieri possit quin omnes in duobus consentiant, et una fateantur Ausonium neque eorum numero qui, Symmachi Prætextative instar, veterum sacrorum partes tenacius suscepere, neque eorum qui viro in christianorum ecclesiam ingresso priores mores penitus exuendos esse putarent, adscribi posse. Consenuit igitur Ausonius, in villula cui [3] nomen Lucaniacum erat, prope civitatem Burdigalam jam Christo plane deditam, ipse Christi fidem professus, consilioque potius quam natura ad eam informatus, cum et ipsi, qua erant his temporibus, si eos qui se totos Christo tradiderant, et præter eos paucissimos quosdam excerpas, vel probissimi animi levitate, victrix causa magis placeret, simulque nihil aliud forsan in Christo nisi unicum mundi Rectorem Deum, jamdiu a philosophis prædicatum et cujus in verba plerique etiam pagani quarto sæ-

1. Cf. Schenkl, in præfatione, præcipue, p. XLI-XLII.
2. Trinitas in Gripho (88) indicata. — *Epist.*, VIII, Axio Paulo rhetori missa... Cf. J.-J. Ampère, aut Bayle (*l. c.*).
3. De qua vide : Dezeimeris. (Comptes rendus des séances de l'Académie de Bordeaux, 1868-1869). Schenkl, p. XVIII.

culo[1] jurabant, si paululum sententiam ejus premeres, interpretaretur, circa varias dogmatum argutias parum attentus. Neque enin eum usque eo christianum fuisse ut baptizatus fuerit, affirmare ausim[2]. At quam alte veterum numinum non fide expressa, sed litterarum amore condita, reverentia ejus cordi inhæreret, ipsa villula profanis signis ornata apertissime[3] testabatur, apertiusque etiam testantur fere cuncta[4] poemata. Quæ cum ita sint, nonne verisimile est ab illo Paulinum neque in Christi vias promotum, neque, quoad monachorum ἀσκήσιν non affectavit, ab iisdem deterritum fuisse. At potius eum philosophorum præceptis quam Christi verbis informare conatus est. Nihil quidem erat Ausonio antiquius, cum in tanta ingenii vanitate severam et modestam indolem patris[5] instar servavisset, quam ut discipulos honestissimis ipsos moribus applicaret, eosque « ad artes bonas » non minore cura quam ad « fandi vigorem » flecteret, quanquam nonnulli,

1. Cf. notissimos Prudentii versus (*Apotheosis*, 186-188) :

> Ecquis in idolio recubans inter sacra mille
> Ridiculosque deos venerans sale, cespite, ture,
> Non putat esse Deum summum et super omnia solum?

2. Quod ne cui religionem injiciat, addatur hic exemplum Probi, quem eo libentius afferam quod inter eum Ausoniumque consuetudo intercessit, ut patet ex elegantissima epistula dimetris iambicis conscripta : Perge o libelle Sirmium (*Ep.*, XVI). Sextus enim Anicius Probus, quanquam jampridem christianus habebatur, non nisi morte propinqua baptizatus est, ut patet ex ejus tituli quodam versu : Jordane ablutus nunc Probus es melior (C. I. L., VI, n° 1756).

3. Epigramma XXX (Mixobarbaron Liberi patris signo marmoreo in villa nostra omnium Deorum argumenta habenti).

4. Cf. J.-J. Ampère (*l. c.*).

5. Cf. *Epicedion in Patrem*. — Quæ vero lasciviora lusit quomodo Plinii notissimis verbis excuset videsis in præfatione *Centonis Nuptialis*.

ut ipse fassus est in Protreptico de studio puerili nepoti dicato, Gratiano Augusto et Paulino parum similes,

> « Imperium cervice negarent [1]
> Ferre, nec insertis præberent terga lupatis. »

Verum illos Ciceronis officia, aut Πυθαγορικὴν [2] ἀκρόασιν, aut Platonicorum Stoicorumve placita vel etiam Epicuri [3] κυριάς δόξας docebat, nedum omnes cum Tertulliano delirasse philosophos putaret. Scilicet virum illum bonum, quem sibi isti animo proposuerant, « securum, mundi instar habentem [4], teretem atque rotundum », sæpius quam christianum meditabatur. Quis vero miretur, cum nostris quoque temporibus, non paucis, etsi ea quæ de rebus divinis a pueris didicerunt matura ætate abdicaverint, tamen prioris opinionis callus superstes obduret, etiam apud homines quarti sæculi tumultu jactatos, inter se pugnantia concurrisse ?

Igitur Paulinus, postquam annis provectior factus est, tum iis quibus primum oblectatus erat poeticis deliciis friguit, et tenuem in tenui labore gloriam, cum se contra diversa Vergilii opinione Ausonius tueri soleret, existimare cœpit ; tum intellexit quantus quasi agger inter philosophorum placita Christique præcepta obstaret ; et cum in bivio se morantem sensisset, viam alterutram sibi eligendam constituit. Inhæsisse pridem ei molliorem animum et acrius amore carentem quam Ausonio inerat, non tam e paucioribus qui supersunt versibus

1. *Protrepticon*, 75-76.
2. XXX, *De viro bono*.
3. *Epigram.*, II.
4. XXX, 5.

ex his quos ante annum CCCLXXXIX scripsit, quam e sententia Ausonii de amici ingenio lata, cum augurari licere jam ostenderim, illud hoc loco addatur, ab eo jam primum his temporibus quo consulatum[1] obtinuit, Felicem Nolanum peculiari religione cultum fuisse; tunc enim, ut ipse in poemate XXI, varias propriæ vitæ vices referens, commemoravit, « primæ[2] libamina barbæ » ante ejus solium totondit, et quanquam in hoc carmine anno tantum CCCCVI composito, eam, quam tunc temporis voverat Felici pietatem usque a primis ætatis annis radices egisse sibi blandiens poeta potius fingit quam credit, vix dubitari potest quin, vel cum maxime litterarum illecebris irretiretur, altius Ausonio christianos affectus hauserit. Ceterum delicatius fuerat fortuna semper adspirante tractatus, et facilius sibi viam ad honores famamque muniverat, omnique bonorum genere magis abundaverat quam ut tædium placidæ, et diuturnitate gravis, felicitatis vitare posset, cum ea ætate degeret qua non pauci omnia in malam partem rapere gestirent, et ista mentis peste, qua cuncta odiosa pessimaque alicui videntur, quibus temporibus maxime viget, non miserrimi, homines corripi soleant, at beatissimi potius quibus illud Senecæ occurrit : « quousque[3] eadem ? »

1. De tempore hujus consulatus hoc tantum liquet, non ultra annum CCCLXXXIX posse descendi. — Cf. Muratori, *Dissertat.*, IX (in editione Migniana, col. 791 sqq.).

2. XXI, 377 :

> Tunc etiam primæ... (lacuna codicibus inest hoc loco)... libamina barbæ
> Ante tuum solium quasi te carpente totondi.

3. *De tranquillitate animi*, II, 15. Ceterum illud indicari a Paulino credo cum Severo scriberet, *Ep.*, V, 4 : « Mihi... a primis jam annis honorata persona potuit maturare gravitatem, »

Attamen cum vix circa septimum [1] et tricesimum annum Paulinus totam vitæ rationem convertere sibi proposuerit, cavendum est ne subtiliori cura tricas colligentes, quam tarda, at, ubi cœpit, subita et tumultuaria commutatione voluntatis raptus fuerit obliviscamur [2]. Fuerit ergo necesse est peculiaribus et gravioribus causis impulsus, quas reperire non est ita laboriosum. Nam ipse in eodem poemate XXI, quo carmine eximie ad illustrandam ejus vitam juvamur, sese in discrimen gravissimum circa hos annos [3] incidisse narravit et, postquam frater cæde interceptus obierat, nescio quo casu se ipsum fuisse oppressum quo adeo laboravit ut jam censum ejus adiisset provinciæ rector, et in eo esset [4] ut publicaret. Quæ sane pericula animam arietari insolitam jamque sæcularis vitæ motibus [5] lassatam, et tranquillitati solitudinique acquiescere aventem, ubi primum perculere, in ultima consilia adegerunt, Paulinoque antea timido et imbelli indole impedito vim necessariam præstitere. Paulo post etiam alia calamitate, scilicet morte filii [6], quem non nisi multis annis exspectatum et pæne desperatum sustulerat, propositum ejus coaluit. Moverat quoque illum parum firma valetudo [7] qua sem-

1. Utpote qui anno 353 natus in Hispaniam circa finem anni 389, aut initium anni 390, secessit.

2. Credo enim eos qui putant (Lagrange, G. Boissier, *l. c.*, p. 58), Paulinum pedetentim sese novae rationi vitae accommodavise, oblitos fuisse quam occulte Burdigalam deseruerit; et quam improviso Ausonius tali fuga interceptus sit.

3. 416 sqq.

4. 418 : « ...censumque meum jam rector adisset ».

5. *Ep.*, V, 4 : « ...odium rerum inquietantium ».

6. *Carm.*, XXXV (De obitu Celsi pueri), 599 sqq.

7. *Ep.*, V, 4 : « Corpus infirmius et decoctior caro ». Ceterum cf.

per pungebatur, et amici, jam ulterius in christianam vitæ rationem ingressi, dubitanti amico aculeos subdidere, haud secus atque ipse serius Jovium [1] Aprumve [2] tum convincere, tum adjuvare conatus est. Delphinum dico Burdigalensem et Martinum Turonensem. Alterum enim posterioribus quas [3] ad eum misit litteris quam penitus dilexerit novimus, et ab illo baptizatus fuit. Martinum quoque, virum ingenio mediocrem, pectore maximum, Apostolis, ut optime Sulpicius Severus et libentissime [4] contendit, tum ista doctrinæ vilitate, tum illa vitæ sanctitate, auctoritate, strenuitate indefessa valde similem, et verissimum Galliarum apostolum, qua ipse erat natura, non fieri poterat quin Paulinus adamaret, et imitari gestiret; cum præsertim peculiari beneficio Turonensis episcopi obstrictus esset, oculumque morbo affectum illius munere [5] servavisset. An vero Therasia, quam in Hispania duxerat [6], Martini Delphinique instar apud virum viguerit, et ineundo firmandove illius proposito aliquid contulerit, in incerto mihi videtur esse. Cum enim plures ab ea Paulinum [7] incitatum fuisse affirmaverint, et ceteroquin libenter adducaris ut Therasiam, tanquam christianæ uxoris, veluti Monicam christianæ matris

ea quæ mox de Martini Turonensis Paulinique consuetudine dicturus sum.

1. *Ep.*, XVI, et *Carm.*, XXII.
2. *Ep.*, XXXVIII et XXXIX.
3. *Ep.*, X, XIV, XX, etc.
4. In fine *Dialog.*, III, et alias.
5. Severus, *De vita Martini*, XXI : Quod miraculo quodam effectum esse credere non dubitavit, quanquam illum Martinus, qui aliquam medicæ artis notitiam habuisse videtur, « peniculo », ut ait Severus, nescio quo pacto, tractaverat.
6. *Poem.*, XXI, 400.
7. Ebert, p. 284. — Buse, I, p. 160.

exemplar præferas, nihilominus, ex epistulis Hieronymi [1], et Gregorii Turonensis [2] narratiuncula quadam conjicias eam Paulini consilia potius secutam esse quam accelerasse.

Quin etiam, jam primum his annis in Aquitania serpere et innotescere cœperat monachorum in remotis Ægypti degentium fama. Quæ quam acriter mentes Aquitanorum pepulerit Sulpicii Severi Dialogis optime intelligimus. Vulgabantur enim et hominum ex Oriente redeuntium opera increbrescebant portentosæ fabellæ eremitarum in antris arenisve feris imperitantium [3], et cum angelis conversantium [4], et avidis auribus inhiabat gens Aquitanorum inauditæ cujusque rei et insolitæ semper studiosa. Non multo post Paulini secessum, Severus amicos domum [5] vocabat ut Postumianum audirent, hujuscemodi miracula recitantem, et vehementer ab eo plurimi petebant ut horum colloquiorum sibi facultas daretur. At ii quibus mens erat ardentior et perfectæ vitæ cupidior, audita talium virtutum magnitudine, pudore quodam et animi secreto cruciatu pungebantur; et prosilire libebat in deserta, et nobilibus exemplis impares esse

1. *Ep.*, LVIII, 6.
2. Gregorius, *De gloria Conf.*, II, 107. Ceterum Therasiam marito dignissimam fuisse nemo negabit. Quin etiam addendum est Hieronymum non semper satis fida certaque de rebus Paulini Therasiæque accepisse, Gregoriumque, quod ad quarti sæculi viros spectat nequaquam idoneum testem exsistere. Illud potius me movet, Paulinum scilicet ipsum nusquam, in epistulis carminibusve quæ superere, illam vim Therasiæ tribuisse. Ea vero quæ Ausonius de Paulini uxore, quam vocat Tanaquilem, scripsit, potius conjectura quam certa fide niti videntur (*Ep.*, XXIII).
3. Severus, *Dialogi*, I, 14, etc. (ed. Halm).
4. *Ibid.*, I, 11, etc.
5. *Ibid.*, I, 1; II, 1.

tædebat. Cum enim non nisi aliquid jure suo decedens, et antiquis moribus indulgens, sese Aquitanorum Italorumve ingeniis sensim fides christiana accommodasset, dicere possis eam vim præcipue apud homines ceterum jam Christo addictos prima monachorum exempla obtinuisse quam prioribus annis apud homines antiquis Numinibus obstrictos Christianorum exempla obtinuerant, illosque quarto sæculo in monasteria solitudinesve confugisse, qui tertio secundove in Ecclesiam [1] introissent.

At Paulinus, simul ac tali intemperie fluctuaverat, primisque quasi hujus febris motiunculis perstringi cœperat, Burdigalam Hebromagumque per obreptionem reliquerat, ut in Hispaniam sese absconderet, Delphini forsan præceptis impulsus. Nempe Hieronymus nos docet illud fuisse inprimis monachorum vitam affectantibus imperatum, ut confestim patriam linquerent; non enim esse obliviscendum eorum quæ Lucas scripsit : neminem in patria sua prophetam [2] honorem habere; nihilque magis periculi afferre viro artium disciplinis erudito quam proximorum convicia et ludibria : « Ingenia enim liberaliter educata facilius verecundia quam metus superat, et quos tormenta non vicerunt, interdum vincit pudor [3]. » Ex

1. Ceterum homines hujus ætatis hæc similitudo non fugit. — Cf. enim Hieronymum, *De viris illustribus*, XI (De Philone)... « Ex quo, (libro Philonis) apparet talem fuisse primum Christo credentium ecclesiam quales nunc monachi imitantur et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper; patrimonia egentibus dividantur; orationi vacetur et psalmis; doctrinæ quoque et continentiæ, quales Lucas refert primum Hierosolymi fuisse credentes », p. 16, éd. Herding.

2. *Ep.*, XIV Hieronymi. — Luc., IV.

3. *Ep.*, LXVI, ad Pammachium, 6.

epistulis igitur [1] Ausonii, et, si qua est tali narratiunculæ [2] fides adhibenda, ex iis quæ Gregorius Turonensis de Paulini secreto retulit, patet ab eo quæ jam in animo constituerat, quamdiu in Aquitania mansit dissimulata esse, et, posteaquam profectus est, epistularum commercium cum proximis amicisque intermissum esse. Quibus maxime cogitationibus tunc temporis versaretur ex epistulis paulo serius ab eo ad Severum [3] missis discimus. Ei autem præsertim prægraves fuisse videntur divitiæ quibus affluebat; scilicet menti anxiæ subibat ille Matthæi [4] versus toties his temporibus prolatus, et quo tot nobiles viri mordebantur et turbabantur, « si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me », et quanquam aliquoties exemplis Abrahæ, Loth et Job « qui de opibus suis amici Deo facti [5] sunt », sollicitudinem levabat, sæpius notissimam cameli et acus foraminis figuram meditabatur. Neque etiam negandum est, hac præsertim ætate, divitibus clarisque viris, ubi disciplinæ christianæ non parce et cunctanter, sed toto animo se [6] adjunxerant, ad omnia parati ut evangelicis præceptis fungerentur, nihilque actum reputantes : « si quid superesset agendum », quoad sese fortunis exuere dubitabant, non

1. XXIII, XXIV, XXV.
2. Quam supra memoravi.
3. *Ep.*, I, v.
4. Matthæus, XIX, 21. Paulin., *Ep.*, XXIV, 5. Hieronymus, *Ep.*, LVIII, 2, et præsertim August., *Conf.*, VIII, 12, 19. (Hoc versu, ut Augustinus refert, Antonius ad Dominum conversus est.)
5. *Ep.*, XIII, 20. Licet enim credere eum jam anno 389 ea quæ anno 397 Pammachio scribebat meditatum esse.
6. Neque enim plures ab inclementia præceptorum declinasse, ut patet ex Hieronymi epistulis, non memini.

minimas turbas occurrisse, eisque subdiffidere tum fideles, tum clericos solitos [1] esse. His ergo sententiis jactatus Paulinus bona fere cuncta pauperibus [2] erogavit. At nos potius illud scrutari gestimus, an litteras haud secus ac divitias sibi obstare novam viam ingredienti putaverit, et his Apostoli dictis : « Multæ te litteræ [3] ad insaniam perduxerunt », tam vehementer quam altero quem supra retuli Evangelistæ versu motus fuerit, quod ex epistulis quæ inter ipsum Ausoniumque post Hispanensem secessum intercessere, nunc explicandum est.

Ausonius quoniam quæ Paulino jampridem inhæsissent piorum consiliorum semina nunquam suspicari valuerat, ubi ea prodiere, primum vix sibi credidit, dein tanquam attonitus stupuit. Nam, cum per totum Occidentem diu monachi fere omnibus bilem moverint, eosque gravissime passi sint non tantum qui quæcumque e christianis disciplinis orta erant metuebant et oderant, verum plurimi etiam christianis disciplinis vel adstricti, nusquam acrius illos credo contemptos fuisse formidatosque, si Romam excerpas, quam apud Aquitanos [4], ceterum Romanis ipsis tam similes. Ausonius ergo non minori indignatione elatus est quam paulo post Namatianus Caprariæ insulæ diras imprecaturus, et iis sensibus jactatus est quibus

1. Cf. quæ optime de hac re disseruit E. Le Blant : La Richesse et le Christianisme (*Revue archéologique*), 1880, p. 320-330.

2. Severus, *De vita Martini*, 26; Uranius, 5-6; Ambrosius, *Ep.*, LVIII, etc.

3. *Acta Ap.*, 26, 24. — Cf. Paulini, *Ep.*, XXX, 1.

4. Hoc enim liquet e Severi dialogis, atque Severi ipsius non minus atque Paulini fatis quibus obnoxii post vitæ correctionem quam inierant ambo fuere.

incitata plebs romana in Paulam, mediis Blesillæ exsequiis, mussitabat : « Quousque genus detestabile monachorum non urbe pellitur? Non lapidibus obruitur? Non præcipitatur in fluctus [1]? » Quin etiam eo acriori luctu profligatus est quo magis quam sibi novam vitæ rationem Paulinus instituisset incertus erat, Paulino ipso, ne quid sibi obstaret, et nondum coalitum propositum solveret, nemini proximorum familiariumve rescribente, et non paucis quæ memoravi crimina in monachos per Aquitanos vulgantibus. Nec dubium est quin, his annis, qua erat gens Aquitanica, tantopere rumusculos sectari solita, garrula et immodesta levitate, commenticia multa et portentosa de Paulino nugigeruli ardelionesque Burdigalæ circumtulerint. Scilicet virum clarissimum et consularem, senatoria dignitate auctum, apud Vascones, rudes et immanes homines, ninguidis Pyrenæi hospitiis [2], patrios sepelisse honores, et, in solitudine vasta, quodam ferarum potius quam monachorum ritu degere narrabant, furoremque post « Bellerophonteas sollicitudines [3] » usque in hos dies ignotum ridebant simul et indignabantur. Quæ cum in Ausonii aures venissent, quatuor illas, quarum una deperdita est, epistulas ad Paulinum scripsit.

Quo vero ordine teneantur tres quæ supersunt

1. Hieronymus, *Ep.*, XXXIX, 5.

2. Cf. Paulini *Carm.*, X; Ausonii *Ep.*, XXIV. (Numeros quos Schenkl adhibuit in ordine epistularum Ausonianarum semper secutus sum, cum hujus editione usus sim, quanquam eos, ut mox dicturus sum, non approbo.)

3. Bellerophontis enim exemplo præcipue monachos tunc temporis fuisse lacessitos patet ex Ausonii *Ep.*, XXIV (sub fine), atque e notissimo cui allusi Rutilii versu, I, 450 (éd. L. Mueller).

Ausonii epistulæ primum inquirendum est. Neque enim is est extra dubitationem positus, quanquam in unam sententiam impigre concurrerint quicumque de eo disseruere, præter novissimum Ausonii editorem K. Schenkl [1], quem, cum opinionem quam novavit mihi non probaverit, in hoc tamen non parum laudandum existimo quod plus inesse rei caliginis quam sibi priores libentius persuaserant, intellexit. Mea quidem sententia, tres, de quibus contentio est, epistulas consideranti, et tum ex iis quæ in unaquaque legimus, tum e vario quo unaquæque constat sermonis tenore et colore, judicium facienti, nulla alia adhibita norma, sic videtur fuisse continuata series, ut primum locum obtinuerit ea cujus initium est : Proxima quæ nostræ...; secundum autem, ea quæ his verbis incipit : Quarta tibi...; at postremum quæ longior et multo majoris momenti quam priores sunt acerbiori hoc exordio utitur : Discutimus, Pauline, jugum...; quibus autem si assenseris sequetur e primo primum locum sortitæ epistulæ versu :

> Proxima quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,

eam quæ deperdita nos fugit ante tres quæ pervenere ad nos scriptam ceterarum agmen duxisse; e primo autem secundæ :

> Quarta tibi hæc notos detexit epistula questus,

cogeris, præter hanc de qua nulla disputatio est quamque Paulinus novit [2], nos vero non habemus,

1. Præfatio, p. x sqq.
2. Paulin. *Carm.*, X, 1 sqq.

fingere alteram etiam evanuisse, neque ad ipsum Paulinum delatam esse. Hunc autem ordinem Schenkl in editione sua posuit, nec non hujuscemodi conjectura [1] defendit.

Scilicet optime et apertissime, hoc ordine instituto, quas sensim mæroris quo affectus est vices Ausonius continuaverit, et quibus intervallis gradibusque dubius primum et attonitus in indignationem gravissimumque dolorem commotus sit, videtur intelligi. Cum enim prima quam amisimus epistula Paulini silentium incusavisset, et ab eo petivisset ut talis neglegentiæ rationes redderet, nullum autem responsum accepisset, dicas eum subiratum quidem, verum nequaquam desperantem fore ut aliquam vocem amico eliceret, jocis potius quam probris, cum secundam mitteret, indulsisse, atque in solam Therasiam [2] invectum esse, cum ab ea — quo sunt interdum animo erga nurus socrus socerique, Ausoniumque pæne Therasiæ socerum dicere possis, cum se toties ipse Paulini patrem [3] venditaverit, — maritum impulsum fuisse conjecisset. Paulinum enim nil nisi « clandestinas » quas ipse vocat « loquelas [4] », quibus, inscia uxore, rescribere queat, docuit, et in calce tantum carminis grandibus et sublimibus verbis insurgens, exclamavit :

Ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus; primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

1. P. XII.
2. Quam Tanaquilem appellat, Juvenali (*Sat.*, VI) alludens.
3. « Si erro, pater sum... » (*Ep.*, XIX, et alias).
4. 29

Quartam autem cum exaravit, paulo magis stomachatus, immutatos esse omnino Paulini [1] mores senserat, et jam irreparabile discidium veritus, sermone amariori usus est, ita tamen sui compos ut putidissimos eruditionis suæ flosculos prodiga manu spargeret, et plus etiam quam more solito [2] lasciviret. Denique ultimam potius impetu quodam doloris et pæne iræ evomuit quam ceterarum modo concinnavit, atque eloquentioribus, utpote candidioribus, sententiis priori parte exacerbatam, mox posteriori, insolitæ duritiæ conscientia subito perstrictus, et suavi præteritorum dierum recordatione mollitus, speique ineluctabili vela dans, flebilibus modis et qui nos valde moveant, confecit. Aliquid tamen in ultimis versibus non inanem religionem legenti injicit nec nisi aliquatenus repugnans credas Ausonium, post iterata Paulini silentia, tam vanam exspectationem tam avida mente haussisse, et, vel Vergiliano versu sese ipsum tuentem :

Credimus, an [3] qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

talia hallucinatum est, ut puta.....

Hebromagi jam tecta subit, jam prædia fratris
Vicina ingreditur; jam labitur amne secundo;
Jamque in conspectu est; jam prora obvertitur amni;
Ingressusque sui celebrata per ostia portus
Totum occursantis populi prævertitur agmen;
Et sua præteriens jamjam tua limina pulsat [4].

1. 50. Vertisti Pauline tuos dulcissime mores.
2. Cf. præcipue, 20-28; 53-56; et, ante omnia, frigidos grammatici lenocinantis jocos de particulis est et non, « quæ firmata probant aut infirmata relidunt », etc.
3. *Ep.*, XXV, 132.
4. *Ibid.*, 126-131.

Quid vero post Paulini iterata silentia dixerim? potius post ipsum Paulini responsum addendum est, explicatiusque et omni ambage planius carens quam ut esset dubitationi locus. Schenkl enim, licet non omnino ex ejus conjectura talis exitus penderet, cum tamen ita, fateor, res verisimilius cadere videretur, id intervalli fuisse inter litteras : « Quarta tibi... » easque quæ secutæ sunt, ut putat : « Discutimus, Pauline... » censuit , ut interea Paulinus Ausonio carmine X « quarta redit [1]... » responderit. Vix autem concedas ab Ausonio, postquam gravissimum carmen legerat, quo omnes Paulini rationes reteguntur, nusquam Paulini ipsius verba relata fuisse [2], aut nescio quomodo significata. Nec, quo liberalius quæcumque in eam partem moveri possunt remittam, negabo fieri potuisse ut Ausonius, cum Paulini argumentis acrius incumbere vix posset, nisi se christianum negaret esse, aut saltem incertam et ambiguam qua delectabatur opinionis suæ fluctuationem aliquantisper sisteret, fugere tanquam scopulum strictiorem controversiam, et ad querelas precibus immixtas potius quam ad dubia certamina descendere in animo habuerit. Nihilominus non fieri potuit quin omnino rem unice cordi Paulini hærentem omitteret, et præsertim quin quolibet modo sese gavisum quod pæne desperatam epistulam, vel quæ minime placuisset, tandem accepisset,

1. Schenkl, præfatio, p. XI-XII.

2. Nam nihili refert Cæsarea Augusta, quæ non nisi inter alias plurimas civitates a Paulino (X, 232) nominatur, versu quoque 88 Ausonii indicata. — Ceterum hujuscemodi indiciis jam nisus est E. Everat (p. 109) ut Schenklii opinionem confutaret; non tamen agnovit suas esse quibus Schenkl illectus est tali sententiæ reipsa peculiares illecebras.

significaret. Ubi autem primum censueris Ausonium his de quibus nunc disputatur epistulis non respondisse Paulino, ægre adduceris ut putes eum, post quatuor quæ evassissent inutiles, quintam aliam, præcipue nulla priorum mentione facta, conscripsisse. Ceterum hanc conjecturam Schenkl non adiit parum verisimilem.

Verum num utique est ex ordine a prioribus Ausonii editoribus, veluti [1] ab iis qui de vita Paulini ad hunc diem disseruere, instituto in novum quem Schenkl finxit transeundum? Non pejus existimabitur Ausonius epistulam : « Discutimus, Pauline... » primam ante alias misisse, et ipso qua eminet doloris acerbi jugi æstu hæc conjectura comprobabitur, cum senem primo vulneris ictu necopinato interceptum et subsilientem deprehendere quin tibi videaris nil obstet. At minus commode fingas ab eo postea duas alias quæ supersunt tam putido partim stylo exaratas, potiusque rhetore seipsum venditante quam amico mærenti in summa dignas provenisse, et, cum verba fundentis et in præsentem effervescentis fieri possit ut ira dolorve, post gravissimum æstum, gradatim defervescat leniorique motu aliquandiu subsultet, dicas virum per litteras in absentem invectum nunquam acerbiori epistulæ molliorem subdidisse, nisi aliquid inclementius quo se purgatum velit a se emissum credat, quam sententiam Ausonio præsto fuisse non est e duabus de quibus lis est epistulis cur evincere queas. Fateor; verum nego cum Ausonio summo jure agendum esse,

1. Quorum rationes vide apud Lebrun, *Dissert.*, II; Ebert, p. 288.

neque ab insidiis criticum tutum esse existimo cum viro tam libidinosi acuminis et tam intemperantis lenocinii congressum. Quis enim præter exspectationem accidisse censeat ut non semper naturæ congruentem simplicemque in exprimendis affectibus cursum tenuerit, cum Paulino scriberet, poeta a quo sic deploratum esse Hesperii discessum novimus, ut, vel quam maxime sincero desiderio laborans, tamen hisce affectatis versibus non pepercerit :

> Quis fuit ille dies? non annus longior ille est
> Attica quem docti colligit cura Metonis [1].

Igitur cum parum aptum sit conjicere istam, quam Schenkl hallucinatur, Paulinus vero non novit, epistulam hodie plane ignotam, vere e manibus Ausonii elapsam esse, melius priorum sententiæ hærebis. Attamen in re subtilissima non is sum qui veritatem, sed quæ potius ad veritatem proxime accedere mihi viderentur, inquirenda judicaverim, nec sententiam tuli, jus respondere [2] malui.

1. *Ep.*, II, 11,12.

2. Hic addatur Schenkl mihi in enarrando versuum quibus epistula : « Discutimus Pauline jugum » constat ordine magis felicem quam in explicanda epistularum serie visum esse. Nam quis intercederet ordo inter carminis exordium sequentesque versus quorum agmen ille ducit : « Inpie, Pirithoo disjungere Thesea possis, » nunquam quidem per me intellexeram. Verum ordo novus quem Schenkl instituit multo mihi potior habetur, neque conjectura « inpia » pro « inpie » in textum recepta, ab illo deterrear. At iis quibus nisus est Schenkl argumentis liceat aliud quoque afferre : cum inter versus 37 priorum, 66 apud Schenkl : « Nec custodisset Siculus vadimonia Damon », versumque 43 priorum, 39 apud Schenkl, « jam minor, et promissa obiens vadimonia Damon », per antitheton inter se respondeant, non ita imbelli clausula Ausonium usum esse censeo ut quem priorem attuli posteriori tam abjecte repetierit, quos contra si diversa ratione junxeris, plenior et valentior sententia evadet.

Quidquid idest, quod ad Paulini ipsius carmina quibus Ausonio rescripsit attinet nulla disceptatio est. Ipse enim apertissime nos docet nullas ad se Ausonii epistulas ex quo Aquitaniam liquerat usque ad quartam æstatem delatas esse; neque est cur mireris, cum locum quo secesserat Paulinus dissimulaverit, omnemque cum familiaribus consuetudinem intermiserit. Cum autem tres simul tandem in manus ejus venissent, — (quibus modis et cujus ministerio non liquet [1]), — scilicet duas quas habenus : Proxima quæ nostræ..., et : Quarta tibi..., tertiam quæ nos fugit, carmine decimo rescripsit, posteaque recepta quarta, sive prior, sive posterios illa ceteris reipsa erat : Discutimus, Pauline..., carmen undecimum composuit. Ceterum inest inter duo carmina Paulini, præter posterioris, priore multo longius excurrente, insignem brevitatem, non nihil discriminis. Quo tempore enim alterum scripsit, credas eum non leviter punctum perstrictumque fuisse cum secretum quo se condiderat rumperetur, Ausoniusque, ad invitum ut aditum sibi moliretur, assecutus esset. Qua ægritudine laborans, quam primis [2] versibus, cum celare conetur, potius

1. Illud quoque interim notem, quo tempore Ausonius sese primum ad scribendum accinxerit non definiri posse. Lebrun tamen nonnihil hujusce modi tentavit, cum, inter epistulas de quibus supra disseruimus, qualiscumque fuit earum ordo, aliam anno 390, aliam anno 391, tertiam anno 392, quartam anno 393 assignet. « Eas diversis annis assignamus, cum propter locorum distantiam (Ausonius enim in Aquitania, Paulinus in Hispania degebat), tum quia idem Ausonius Paulini responsa in dies exspectans, interjecto multo tempore, rescribebat. » Lebrun, *Dissert.*, II. — Quæ cum sint non minimi ponderis, forsan tamen a Lebrun amplificata, malim ordinem epistularum Ausonii, post longiora tantum Paulini silentia inchoatum intra paulo brevius quam Lebrun finxit temporis spatium comprehendi.

2. X, 9 sqq.

tamen fatetur, quamquam a se non abdicari veterem amicitiam, gratoque animo perstare præteritorum annorum memoriam asseverat,

Tibi [1] disciplinam, dignitatem, litteras,
Linguæ, togæ, famæ, decus,
Provectus, altus [2], institutus debeo,
Patrone, præceptor, pater!

tamen non sine duritia quadam et felle mentem suam aperuit. Primum enim asperiori clausula concluduntur iambi post elegos positi :

Sed cur remotus tamdiu degam arguis,
Pioque motu irasceris?
Conducit istud, aut necesse est, aut placet,
Veniale quidquid horum erit.
Ignosce amanti si geram quod expedit,
Gratare si vivam ut libet [3].

Quid enim acerbius quam istud : aut placet? cum sit præsertim apud Paulinum tam insueta [4] acerbitas? Dein hexametri iambos secuti non mollioribus temperamentis utuntur, qui tali fine præciduntur :

1. X, 93-96.

2. E. Châtelain (p. 54) e codice Parisino 7558 eruit : « auctus », et lectioni priorum « altus » prætulit. Ego vero malui « altus » cum ceteris legere, cum his versibus Ausonii Paulinus respondeat, quos supra retuli : Ego sum tuus *altor*.

3. X, 97-102.

4. Ceterum vide, ridendi causa, quomodo D. Rivet, Lebrun, ceterique clerici nostri in Ausonium insurgant, ejusque odiosam molestiam incessant. « Les importunités d'Ausone, » *Hist. litt. de la France*, t. I, p. 2 (p. 306). « At quæ diversis annis carmina seu potius incitamenta fuerunt missa fecit Deus ut sero admodum redderentur quarto scilicet anno, ex quo nihil ab eo litterarum acceperat Paulinus, ut sane validior factus latitantis diaboli insidiis et tentationibus obsisteret » Vita Paulini, in edit. Migniana, col. 43 (XII, 2), etc.

Si placet hoc [1], gratare tui spe divite amici;
Si contra est, Christo tantum me linque probari.

Cum contra carmen undecimum misit, querelis Ausonii quas in epistula : Discutimus... multo simpliciores et ad permovendum melius accommodatas esse nemo negabit, ad miserationem flexus est, pænituitque duritiæ recentis ipsa Ausonii [2] duritia offensum. Tum blanditiis, licet nequaquam de jure suo cederet, lenire amicum, et laudibus [3] placare conatus est. Tum miris et jugem amorem anhelantibus versibus eum affatus abundavit :

... Et cum solutus corporali carcere
 Terraque provolavero,
Quo me locarit axe communis Pater,
 Animo quoque illic te geram [4],
Neque finis idem qui meo me corpore,
 Et amore laxabit tui;
Mens quippe lapsis quæ superstes artubus
 De stirpe durat cæliti,
Sensus necesse est simul et affectus suos
 Retineat [5] ut vitam suam,
Et ut mori, sic oblivisci non capit,
 Perenne vivens [6] et memor.

1. Cf. Ceterum de Carmine X, Ebert, p. 288, J.-J. Ampère, p. 280, qui minus quam decebat quo esset felle adspersum ostenderunt.

2. ..... et durum jacis in mea viscera versum. (XI, 5.)

3. 38, 39...... vix Tullius et Maro tecum
Sustineant æquale jugum.

4. Cum negem versum defendi posse qualis nunc legitur (illic quoque te animo geram), malui conjecturam qualemcumque afferre quam mendam haud dubiam servare.

5. Conjecturam quam Châtelain (p. 54) protulit, cum meliorem non viderem, accepi. Quidquid est, nego Paulinum scripsisse, ut ad hunc diem editum est : « æque ac », spondeo in secundo dimetri pede pro iambo posito.

6. Lebrun et alii : viva, ego : « vivens ». Utique mendosum hiatum servare nolui. — Non absunt quidem omnino e priori carmine versus

At non minus secundo carmini, vel dulci et verecundo, quam priori subest firmum et inconcussum quo litteras abdicaverat profanas Paulinus consilium. Priori tamen præcipue hærendum est, cum quid de præteritis studiis demum cogitaret perspicere velis. Si vero ipsius verbis, qualia sunt, fidem statim adhibebis, credes eum poeticæ arti omnino renuntiavisse, Musasque ejurasse in æternum :

> Negant Camænis nec patent Apollini
> Christo dicata pectora [1].

Ardentibus enim et qui spiritu diviniori non carent versibus quo modo vertat et informet virorum quos sibi elegit mentes [2] Deus explicat, et vim sophorum callidam, artemque rhetorum, figmentaque [3] vatum conviciis insectatur quæ sane Ausonium usserunt; et eo pluribus probris indulsit quo magis eum vellicaverant frigida acumina quæ ille in honorem amici concinnaverat. Quid enim de « taciturnis [4] Amyclis », aut « Lacedæmonia [5] scytale », et regis Midæ [6] « arundinibus », « pelvibusque [7] Dodonæis », existimaverit non dissimulat, jamque non nisi castioris candidio-

qui solitam Paulini lenitatem redoleant. Videsis præsertim quomodo Ausonio blandiatur : « cujus præceptis partum est quod Christus amaret. » (146). Quod sane non dixisset, ut hoc loco talia addam, nisi Ausonius aliquantisper sese christianæ fidei applicavisset.

1. X, 22-23.
2. *Ibid.*, sqq, 119 sqq.
3. Qui corda falsis atque vanis imbuunt tantumque linguas instruunt (39-40).
4. *Ep.*, XXIIII, 26.
5. *Ep.*, XXIII, 23.
6. *Ep.*, XXIII, 18.
7. *Ep.*, XXIIII, 23.

risque elegantiæ studiosus, quæ ex animo senseris et alto corde hauseris, addita verborum insulsa cavillatione potius refrigescere et perverti quam ornari et splendescere [1] profitetur. Neque tamen litterarum illecebris negat se olim deceptum fuisse, verum nunc liberum et immunem sese vivere gloriatur.

Nunc alia mentem vis agit, major Deus,
Aliosque mores postulat.

At, si rem propius inspexeris, num omnino Paulino talia jactanti assenties? Quippe, adhibito ipsorum versuum ministerio, Musas lacessit, et carminibus carmina Ausonii redarguit. Quin etiam spirat adhuc, vel post longum secessum, subtilissimas magistri artes, quibus imbutus est, neque tantum ut magistro placeat, cum tamen eum conatum esse ut quæ negaret lenioribus saltem verbis negaret, existimem, interdum lenocinatur, verum inest invito et inscio nonnunquam subit moris prioris vis rediviva. Nam, ut exemplum afferam, quanquam semper, quoad poemata scripsit, singulariter curavit ut numeros pro tempore variaret, paucioribus multo quam Prudentius, et forsan minus doctis metris in summa usus, sed aptius callidiusque ea quæ tractavit cuique rei vindicare, meo quidem sensu, solitus, tamen nunquam post Nolanum [2] seces-

1. Vide eximios versus : 260 sqq.

Multa jocis pateant, liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos satiræ mordacis aceto
Sæpe poetarum, nunquam decet esse parentum.

2. Vix simile aliquid reperias (XX, 100 sqq).

sum se tam profana sollicitudine laboravisse apertissimis verbis fassus est qualia sunt carminis decimi initio...

Ista suo referenda loco tamen, et graviore
Vindicis heroi sunt agitanda sono,
Interea levior paucis præcurrit iambus,
Discreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi salvere jubent dictaque salute,
Ut fecere aliis orsa gradumque silent [1].

Neque usquam alias magis solitis Ausonio ipsi luminibus proprios versus illustravit quam [2] media parte carminis undecimi, ceterum in summa simplicioris. Quin etiam non tantum Ausonio his temporibus versus mittebat, verum alia quoque carmina composuit quæ ad nos pervenere. Matutinam enim precationem et poema de Baptista Johanne triumque psalmorum, I, II, CXXXVI, paraphrases circa annos [3] secessus Hispanensis provenisse verisimile est. Quibus etiam licet adjungere carmen ultimum, Contra Paganos, quod, cum forsan post Nolanum secessum compositum sit, certe non serius anno 395 (cf. Muratori, præfatio in Paulini poema ultimum) provenisse putandum est,

1. X, 13-18, quæ plane Ausonium redolent, cum aliquando ille non solum epistulas concinna varietate metrorum distinguat, sed etiam cur mutet numeros et qualia singulis numeris congruant explicet. (*Ep.*, XXI et alias.)

2. Has dico tritas et a Vergilio tralaticias similitudines, quales sunt : (35 sqq.).

Si vitulum tauro vel equum committis onagro,
Si confers fulicas cycnis, et aedona parræ,
Castaneis corylos, æquas viburna cupressis.

3. De quorum tempore cf. Lebrun (*Diss.*, II). Hoc tamen notato, scilicet ab eo immerito Paulino tribui duas Precationes; quarum altera Ausonii est. — Cf. *supra*.

igiturque quibus sensibus versatus sit Paulinus, antequam summam animi tranquillitatem assecutus erat, testari potest.

Ea autem carmina, veluti ostendunt pedetentim novæ quam instituerat vitæ rationi Paulinum se accommodavisse, licet primo Hispanici secessus tempore violentissimis animi motibus æstuarit [1], ita quam longo tantam tempore intermisso Ausonii præcepta scholarumque disciplinas exuerit non infitiantur. Non enim secus atque in carminibus X et XI, in poemate Johanni Baptistæ dicato, plura reperias solito epicorum stylo exarata [2], psalmisque, sive [3] iambis sive hexametris [4] eos condidit, nil nisi vacuum psalmorum nomen inest, cum iambi Horatium, hexametri Vergilium unice sapiant, atque ea quæ concitata spiritu, aut intercisa singultu, aut ira exsultantia effuderat propheta, sæpius præceptis rhetorum obnoxius Paulinus amplificatione enervaverit, dispositione tardaverit, nimium castigato dicendi genere restinxerit [5]. Poema autem contra Paganos paulo frigidius etiam esse, neque vi argumentorum aut novitate præpollere non mirabitur qui Paulino philosophorum placita nunquam penitus

1. Quæ jam J.-J. Ampère et Ebert melius notavere quam ut mihi hoc loco sint repetenda. In memoriam tantum revocare liceat quomodo in precatione profana adhuc vota congerat (13 sqq); in poemate de Johanne se adhuc imbellem et parum firmatum perstare doleat; quæcumque etiam in his carminibus fidei parum congruunt notavit etiam Lebrun. (*Dissert.*, II.)

2. Cf. præcipue quomodo vitam quam Johannes in deserto traxit descripserit, solennis illius de ætate aurea loci, toties ab epicis vulgati, in modum confictam.

3. *Ps.*, I.

4. *Ps.*, II et CXXXVI.

5. Exempli gratia, *Ps.*, CXXXVI, 33-50; *Ps.*, II, 1-10; *Ps.*, I, fere totus.

innotuisse meminerit [1]. At jure illud, quo tempore scriptum est, psalmis et poemati de Baptista tanto intervallo cedere, et multo minori elegantia nitere mirareris, nisi Paulinum materiæ ingenii viribus parum æquæ succubuisse sentires [2]. Quo igitur parum felici partu omisso, liceat asseverare carmina sacra quæ ante Nolanum secessum Paulinus intra annos CCCLXXXX, et CCCLXXXXIV composuit, ut verisimilius est, non longe abfuisse ab illis quæ antea Musis profanis voverat, nos vero tam raris tantum fragmentis novimus. Idcirco, cum quicumque præcepta Christi rhetoricis paganorum artibus ornare tentaverunt, nunquam res tam dissimiles, quasi ponderibus suis libratas, ex æquo temperare valuerint, at contra tum in eorum operibus læsa sit aut hæserit fides, tum nutaverit et lapsa sit oratio, in his præcipue quæ jam nominavi Paulini carminibus minima quidem apparet in Scriptura exercitatio, manet autem firmius forsan quam ipse optaverat poeticæ castitatis studium. Sentias eum, Christi discipulum fieri unice aventem, Ausonii mores nondum exuisse.

Crediderim ergo Paulinum, in Hispania degentem [3],

1. Non enim ad litteram accipienda sunt quæ initio hujus carminis scripsit :

> Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes,
> Plurima quæsivi, per singula quæque cucurri.

Totum ipsum carmen, paucissimis quos afferam versibus exceptis, parum tibi confert, præter spem, ut Paulini mentem introspicias. (Peculiariter explicatum est a Bursian, acta academiæ Monacensis, 1880.)

2. Quanquam enim Muratori poema quod ipse invenit ut « multa eruditione et solito poetæ eloquentissimi spiritu » plenum venditat, jam Ebert quanti reipsa valeat optime pensavit.

3. Ne quis a me neglecta inscitia putet carmina duo quæ A. Mai (*Classici Auctores,* V, 369-381) primum edidit, hic addam ea, si Pau-

per intervalla quidem, cum scrupulis acutioribus vexaretur, habuisse in animo ut poeticam artem omnino ejuraret, verum in hoc consilio non diutius unquam perstitisse. Fabellas tantum et profana vatum commenta abdicavit. Sane fieri non potuit quin interdum attentiori religione sollicitaretur, et in eo esset ut quæcumque e prioris vitæ temporibus servaverat radicitus tolleret, litterisque, qualescunque essent, sese omnibus purgaret. At rarius neque vehementius, quo erat recto et composito judicio, tali sollicitudine laboravit, neque dubitavit exemplis quibus vetus Testamentum scaturit tueri se et excusare :

Et ne displiceat quod talia carmina pando
David ipse chelyn modulata voce rogavit...

Ceterum ægerrime passi essent christiani Paulini amici, qui correctionem vitæ quam curaverat aut jampridem maturaverant, aut, postquam provenerat, laudibus extollebant, ab eo non aliquem ardori modum constitui. Non minus enim episcopos et eos quicumque ecclesiæ fatis tum præerant, cognitis Paulini consiliis, lætatos esse, quam ob Augustinum aut Victorinum fidei addictum gavisi erant, magis notum [1] est quam ut hoc loco

lini tribuenda censeantur, ad id de quo nunc loquimur tempus referenda esse. At secundo nescio qua amentia Mai Paulinum oneraverit, cum istæ quas poeta nos docet propriæ vitæ vices Paulini vitæ minime conveniant, ut Buse (I, p. 158) optimo jure jam contendit; primum autem, de quo Buse dubitat, per me quidem non certiori fide ei tributum esse existimo.

1. Cf. Ambrosii *Ep.* LVIII, ad Sabinum; Hieronymi *Ep.* LIII, LVIII, LXXXV, CXVIII; Augustini *Ep.* XXVII, CXLI, XLV, LXXX, XXXV (ex editionibus Mignii); Le Blant, *la Richesse et le Christianisme à l'âge des persécutions*, etc.

repetam. At eum cum ob miram gloriam qua florebat, quamque eximio litterarum amore assecutus erat amarent et vererentur, cumque ob eam unice causam eum tam plane immutatum esse, et a paganis descivisse gloriarentur, spem eorum omnem destituisset, si, quod ei natura insitum erat ingenium nimia modestia evertens et abolens, propriam studiorum famam in communem Ecclesiæ fructum redundare noluisset. Ambrosius, quem Nolam petens [1] Mediolani novit, Augustinusque, quocum epistularum commercium mox junxit, licet ambo in christianam doctrinam multo altius penetravissent quam unquam progressurus erat Paulinus, et per se quidem jam parum momenti profanis rhetorum aut poetarum artibus tribuerent, optabant tamen valde ut nonnulli essent qui vel christiano nomini addicti eas tamen colerent aliquantisper, clarissimaque præbentes exempla metum aliis tollerent, si qui formidarent ne liberales disciplinæ a christianis contemnerentur magis et læderentur. At præsertim Hieronymus cum tantopere studeret ut christianarum litterarum decus gentilium artium honori quam citissime succresceret, magnam exspectationem Paulini habebat, neque « tantum ingenium », et « tantam sermonis supellectilem ». « Tullianamque facilitatem [2] », incassum cessare, atque ex agro fertilissimo inutilia novalia subito fieri sinebat. Sese longius absentem deplorabat, cum male sic posset Paulini inceptis subvenire, et exclamabat : « Si contingeret docere quæ didici, et quasi per manus mysteria tradere Prophetarum, nasceretur

1. Paulin, *Ep.* III, 4.
2. *Ép.*, LVIII (8, 11).

nobis aliquid [1] quod docta Græcia non haberet. » Cum vero Hieronymi epistula cujus hæc verba sunt non nisi postquam Paulinus Nolam advenerat, scripta fuerit, verisimile est etiam in Hispania degenti hujuscemodi consilia non defuisse; cumque ab iis ipsis quorum vi promotus concitatusque fuerat mox cohibitum mitigatumque fuisse. Etenim eum ita eripere Ausonio constituerant ut ea quæ ab Ausonio didicerat non perderent, sed in melius, ut putabant, verterent.

Paulinus interim, non multo postquam epistulas Ausonii acceperat carminibusque X et XI magistro responderat, Hispaniam liquit, neque Aquitaniam, cum [2] mari Italiam « sedesque [3] optatas » petierit, revisit. Ausonius autem non posse fieri ut irreparabili discidio mederetur intellexisse videtur; namque eum Carminibus Paulini rescripsisse neque novimus neque est cur miremur. Etenim Paulino, Ambrosii instar totque aliorum qui his temporibus vel inviti in ecclesiæ munera rapti fuerunt, impositum plebis Barcinonensis voluntate presbyteratum esse certior forsan factus est, etiamque forsan audivit eum Nolæ ubi ei « major rerum nascebatur [4] ordo », sedem sibi constituisse. Ceterum Ausonium non multo post obiisse credendum est, quanquam de ejus morte nihil comperti habemus, nec dubitandum est quin Paulini quam vocare possis defectione turbati fuerint et gravius vexati extremi quos traxit dies [5]. Itaque, anno CCCLXXXXV

1. *Ep.*, VIII.
2. *Carm.*, XII, 12.
3. *Carm.*, XIII, 14 sqq.
4. *Carm.*, XXII, 11.
5. De tempore mortis Ausonii. Cf. Schenkl, p. XIII.

vergente, mortuo, ut videtur, Ausonio, degente, ut novimus, apud Felicis sepulchrum Paulino, ea quam explicare conatus sum lis et dissensio exitum invenerat. At brevibus nunc verbis liceat comprehendere et definire quæ potissimum, cum quas habuerit vices et causas ostenderimus, tali studio didicerimus. Certe, quarto post Christum sæculo, non negaverim inter alios vehementiora, atque ut ita dicam τραγικώτερα, si prima specie judices, sævisse discidia tibi videri. Quanto enim stupore riguisse, et quanta ira insurrexisse existimandi sunt qui, veteribus numinibus etiam tum adstricti et antiquis avorum moribus eo artius hærentes quo magis dilapsos eos et in æternum jam evanescentes cernebant, proximos amicosve in solitudines aut monasteria, fortunis abdicatis, contemptis dignitatibus, amicitiis abruptis, incurrentes retinere non valuerunt! Nempe Rutilii flammeis versibus quo dolore medullitus, exarserint perspicere est, et quam gravibus conviciis sectam insecuti sint « Circeis [1] venenis deteriorem », cujus insidiis non « corpora, verum animi mutarentur ». At inter tales viros, eosque a quibus deserebantur, altior necopinato hiscebat fossa et pæne patefiebat gurges quam ut longis vexationibus et contentionibus dubiis locus esset, ideoque tam promptis et subitis et furiosis discidiis minus nos docemur et forsan etiam movemur. At longe aliter inter Paulinum Ausoniumque res processere, neque ob aliam causam ego in hoc aliquandiu

1. Rutilius, I, 525-526.

Non, rogo, deterior Circeis secta venenis.
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

elaboravi ut christianum Ausonium fuisse ostenderem et quomodo atque quatenus christianus fuerit inquirendum putavi. Multo enim minori intervallo quam, ut exemplum afferam vel e paulo posteriori tempore tractum, inter Rutilium adolescentemque illum, quem in insulam Caprariam [1] aufugisse indignatur, interfuit, eos divisos fuisse, vel post Hispanensem alterius fugam, magni quidem refert, cum pateat inter Paulinum Ausoniumque potissimum, dummodo id fieri potuisset, futurum fuisse ut, immutata alterius vivendi cogitandique ratione, amborum tamen quem mutue junxerant amor recto integroque tenore illæsus perstaret. Nempe ego existimo tum Ausonium, ita quidem ut poetarum rhetorumque artes repudiare nollet, in christianorum mysteria usque eo ingredi voluisse quo licebat homini tales, ut ita dicam, condiciones pacto, non totum et sine lege in deditionem venienti, pedem inferre, tum contra Paulinum, licet tanquam fuga sese primum amico subduxisset, atque etiam, si quæ in intimo corde vel inscius senserit, non tantum quæ aperte volutaverit et sese volutavisse conscius fuerit, perscrutari velis, omne epistularum commercium Ausonius potius ut intermitteret optaverit quam ut continuaret timuerit, nihilominus pepercisse magistro, et remissius delicatiusque cum eo, in secundo saltem carmine, se gessisse. Itaque, si quos credere velis, in tam ineluctabilium certami num alea, molliori impetu inter se concurrisse, Ausonii Paulinique imprimis eam fuisse condicionem tibi

1. Rutilius, I, 518 sqq.

fingas. Verum cave ne putes rem in hunc modum actam evasisse. Quo propiores enim alter alteri versabantur, quo exilioris ut ita dicam lineæ tenuitate jungebantur magis quam distabant, eo acrior tristiorque data est pugna, atque quodammodo hæsit mucro mucrone, viro vir. Mirum quidem et quem vix exspectare licuisset eventum! Hinc Ausonius, vel in candidissimis quos expressit affectibus frigidiusculus semper, et ambitiosus, et putidus, præter morem vocem tollit, et graviores modos resonat, et vena exundat ditiori. Illinc contra tener ille Paulinus, docilisque, aut, si minus ei favere velis, fere imbellis, nil nisi lac et mel fluere solitus, acescit subito, vigetque, et in audacia ferociaque verba erumpit, et priori pudore verecundiaque solutus pro Christi jure superbit. Qua vi autem his temporibus talium virorum ingenia et voluntates tantopere immutari poterant, nisi ea disciplina, cujus qui exstiterat auctor, acerbum effari dictum non dubitaverat: « nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere sed gladium [1] »? At cum bellum illud, a Christo ipso significatum et accensum, vel inter Ausonium Paulinumque exarserit, viros artissimæ amicitiæ vinculis alligatos, eosdemque non tam dissociabili et omnino contraria opiniorum discrepantia, quam vel gravi, tamen non, ut saltem sperare licuisset, inexpiabili discrimine divisos, quis contendere ausit ab iis qui, quarto sæculo finem, quintoque initium ducente, litterarum gentilia artificia Sanctarum Scripturarum studiis conjungere

1. Matth., X, 34.

conati sunt, ut « Celsi, Porphyrii Julianive discipuli, rabidi adversus Christum canes [1] », fidem christianam « rusticæ tantum simplicitatis arguere [2] desinerent », non vanam et quæ parum recti judicii hominibus congrueret operam navatam esse, nisi, ut mox ostendam a Paulino post Nolanum secessum optime intellectum esse, vacuum tantum verborum metrorumque usum, prioribus animi affectibus universaque cogitandi ratione immutatis, e sæculari litteratura servarent?

1. Hieronymus, *De Viris illustribus*. Præfatio ad Dextrum.
2. *Ibid.*

CAPUT III

AN PAULINUS, POST ANNUM CCCLXXXXV ULLAM AUSONII MEMORIAM RETINUISSE VIDEATUR, ET QUOMODO STUDIA, QUIBUS, AUSONIO DUCE, VACAVERAT, IN CHRISTIANARUM LITTERARUM FRUCTUM CONTULERIT

Verum quoniam diversa esse tum litterarum gentilium, tum Scripturarum studia, et pessime ea potius in commune detrimentum quam in mutuum fructum sæpius sociata esse contendi, nisi qui plane sensissent metra solum et elocutionem e profanis artibus sumenda esse, dicas tamen quarto sæculo non minimum rhetorum poetarumve christianorum prodiisse. Fateor quidem : isti his temporibus.

Tanquam herba inrigua succrevere uberrime.

At plerique, duobus præcipue apud Latinos exceptis, Prudentio scilicet et Paulino, gentilium rationi judicioque artius hæserunt. Quin Prudentius ipse tali culpa non semper vacavit [1], sæpius tamen integer. Paulino autem, quanquam vi et robore ingenii æmu-

1. De quo fusius in thesi altera disserui.

lum non superabat, neque etiam æquabat, rem melius cessisse in summa[1] affirmaverim, in carminibus omnibus quæ tempore Nolani episcopatus provenere, cum jam de iis quæ in Hispania composuit quid existimem dixerim. Quomodo autem id factum sit, et qua ratione cum profanis artibus Paulinus Nolæ se gesserit, ut hoc opusculum absolverem, inquirendum esse putavi.

At primum notandum præcipue est Paulinum, post intermissum cum Ausonio commercium, et, ut verisimile est, quæ non multo post intervenit Ausonii mortem, dilectissimum antea magistrum ne ullo quidem loco nominavisse aut aliquo modo significavisse. Nam totum epistularum ordinem carminumque, ab anno[2] CCCLXXXXV usque ad obitum Paulini excurrentium, attentissime perlegenti, tam ardentis tractæque tamdiu amicitiæ nec vola nec vestigium apparet, ne in litteris quidem ad amicos in Aquitania degentes, quorum numero imprimis eminebat Severus, missis. Vix tamen, cum Aprum eosdem casus quibus ipse jactatus erat expertum firmaret eique simultates ipsas quibus obnoxium se esse deplorabat gratularetur, in memoriam præteritorum dierum videtur recurrisse, amarisque potius quam iis qui sedatum lenitumque decerent verbis indulsit, cum exclamaret : « Merito gloriaris, venerandissime frater, et in exultatione dicis hinc te ipsum tibi credere quod christianus sis

1. Etenim Ebert, inter alios, ut supra jam notavi, Paulino minus æquum fuisse existimo.

2. Epistola enim Iª ad Severum missa, in qua quo modo ab amicis proximisque desertus lacessitusque fuerit narrat, et cujus J.-J. Ampère (p. 276) nonnulla attulit, anno CCCLXXXXIV exarata, prioribus temporibus de quibus secundo capite hujus opusculi tractavi referenda est.

quia te odisse cœperunt qui diligebant [1] et despicere qui timebant. » Quin etiam, cum aliquando nonnulla (quæ postea relaturus sum) in carminibus aut etiam epistulis ejus indagare possis quæ soliti Ausonio styli aliquid retinuisse videantur, rara tamen et parum insignia, hoc præsertim animadvertendum est, nunquam ab eo ut talia concinnaret operam datam esse, sed ea quasi sponte sua et naturali vi provenisse, cum in eos mores, quos non nisi quadragesimum annum agens abdicaveris, fieri possit ut relapsum esse te non sentias, non fieri possit quin interdum relabaris. Etenim in carmine quarto Paulini, id est ad Deum Matutina Precatione, locos reperias ex Ausonio pæne integris verbis translatos, nec non in poemate de Baptista hujuscemodi [2] versus occurrunt. At in carminibus post annum CCCLXXXXV compositis, Schenkl quidem vix tres locos [3] attulit quibus Paulinus propria Ausonii verba repetierit, in tanta versuum serie latentes, neque ego plures inveni.

Cum vero Paulinum, vitæ priori valedicentem, magis caritas quam Ausonio voverat, quam artium amor quarum inanitatem apertissime perspexerat vellicaverit, non mireris eum, postquam, magistro mortuo, vinculum unum, quo præteritis disciplinis jam

1. *Ep.*, XXXVIII, 3 (scripta quando fuerit, quanquam eam Lebrun ad annum 404 refert, parum liquet; certe tamen post Nolanum secessum provenit).

2. Cf. Paulini *Carm.*, IV, 1; IV, 6 sqq.; IV, 8 sqq; VI, 22 sqq.; — Ausonii *Carm.*, IV (Ephemeris), 3, 1; IV, 3, 64 sqq.; IV, 3, 59 sqq.; IV, 3, 84 sqq. — Schenkl, Index, I, p. 267. — Cf. quoque ea quæ Ebert de locis quos Paulinus ab Ausonio mutuatus est dixit, p. 287.

3. Schenkl, *ibid.* Paulini *Carm.*, XVIII, 113 sqq.; XXIV, 222; XXXIII, 16. — Ausonii *Carm.*, IV, 3, 84 sqq.; *Eph.*, XXII, 2, 30; *Carm.*, IV, 3, 5.

invitus hærebat, solutum est, plane illecebris quibus inebriatus fuerat liberum exstitisse. Scatent quidem Vergilianis locis Ciceronianisque Hieronymi epistulæ, neque iis vir eruditionis profanæ studiosissimus, vel ut altissima fidei arcana scrutetur et pandat, abstinere solet. At contra rarissime Paulini litteras talibus ornamentis variatas reperias. Nempe si quas Jovio, doctissimo homini et naris emunctæ, misit elegantissimas [1] peculiarique cura elaboratas excipies, occurrent paucissimi Vergilii loci, Terentii unus, plerique Severo aut Apro, nec non eruditissimis [2] viris, allegati. Addere etiam liceat in epistulis quæ post annum CCCCIV prodiere nullum aliud hujuscemodi exemplum a me notatum esse, nisi, in inepta naufragii [3] quo periclitatus est Valgius quidam narratiuncula, non felicius quæ facta est Argonautarum mentio. Nam cum antea « sapientiam mundi [4] miratus esset, et per inutiles litteras reprobatamque prudentiam Deo stultus et mutus fuisset », jam nunc « non ab humanis opinionibus nec a fabulosis poetarum somniis aut philosophorum phantasmatis » quæ vera esse crederet colligebat, « sed ab

1. Illæ enim tibi legendæ sunt, si plane intelligere voles quid Paulinus in arte oratoria potuerit, nulloque alio loco tam absolutas et ad unguem politas περιόδους concinnavit. — *Ep.*, XVII (scripta circa annum CCCXXXXIX). — Cf. J.-J. Ampère, p. 292; Ebert, p. 298.

2. Sic : *Ep.*, III, 4. « Qui genus? unde domo?... » *Ep.*, IV, 2; *Énéide*, VII, 334; 3 (non æquis passibus); *Ep.*, XVII, 4 (invideo, miror magis); *Ep.*, XXII, 3 (Furiæ Vergilianæ alludit) ubi sese excusat exemplo Severi, qui ipse versum Vergilii attulerat; « vivite felices quibus est fortuna peracta », non plures omissos a me credo. — Quibus addas non nulla vocabula e juris civilis scientia eruta, ut *E.* XVII, 4; *Ep.*, XXVIII, 2. — Locus Terentii est *Ep.*, VII, ubi Micioni Æschinoque alludit.

3. *Ep.*, XLIX, quo tempore scripta sit parum liquet.

4. *Ep.*, IV, 2.

ipso[1] fonte veritatis hauriebat fidem rerum ». In carminibus etiam, quanquam insunt passim verba e[2] Vergilio præsertim, aut e ceteris aliquando gentilibus poetis translata, si Prudentium in comparationem adduces, quam aliter ambo quasi ære alieno laborent comperies. Nam et nullum Paulini opus invenias locorum Vergilianorum farragine quasi emblemate vermiculato commissum, cujus generis Psychomachia Prudentiana est, quam fere centonem dicere possis; in hac enim, nec non interdum in hymnis Cathemerinon, Prudentium sæpius credas pessima quadam ratione et parum sano, at meditato tamen consilio, hanc sibi legem constituisse ut quam plurima ab antiquis, nullo delectu adhibito, mutuaretur. Nempe quo ardore, Hieronymi instar, studebat ut litteræ christianæ gentilibus litteris æmulari possent, non aliam expeditiorem viam esse cogitaverat quam ut variis locis sensibusque diversis, quos e Vergilio, Horatio, Statio, Juvenale, ceterisque rapuerat, « carminum[3] structuram solidaret », oblitus sane de mortuis facilius spolia detrahi, eamque calonum lixarumque furacium, non militum operam esse. At Paulinus parum in hoc elaboravit ut pannos versicolores assueret, et, qua solebat esse simplicitate ingenua, eruditionem suam neque venditare, neque contra nimia puerilique fraude dissimulare ubique conatus est. Scilicet parcissime[4], ut his temporibus, alienis

1. *Ep.*, XIII.
2. Cf. Zingerle, *Zu spæteren lateinischen Dichtern*, 2, 47.
3. Verba sunt Ausonii de Centone Nuptiali loquentis. Schenkl, p. 140. Ceterum, ne inclementius de Prudentio judices, intelligas me de Psychomachia tantum, et quibusdam lyricorum carminum partibus loqui; quibus contra virtutibus Prudentius eminuerit, alio loco ostendi.
4. Cf. Zingerle (*l. c.*).

hemistichiis versus ornavit, eaque, non nisi apte et quasi sponte sua, ubicumque ea posuit, provenire viderentur, usurpavit, nedum prava et violenter e fonte proprio detorserit, neque raros et male omnibus notos elegit, at eos tantum quos cuncti memoria tenerent, quique in universorum consuetudinem et pæne proverbii usum venissent. Metra autem cum hinc Prudentius, illinc Ausonius, diversissima et doctissima sectati sint, et quanquam iis interdum abutebantur ineptius, tamen varietate eximia non vulgarem laudem meruerint, Paulinus trita tantum et communia adhibuit, hexametrum scilicet pentametrumque dactylicos sæpius, interdum autem trimetros [1] iambicos dimetrosque, lyricorum [2] σαπφικόν tantum σύστημα. Non tamen neglegentius, quam Prudentius solet, aut inscitius, vel Ausonii subtilitati impar, rem metricam tractavit, elocutionemque habuit Prudentii usu non clariorem sed castiorem, non ita tamen ut labore curioso et lima virtutes quibus pollet assecutus sit, utpote qui, in juventute tam absolutis disciplinis perfectus, male loqui ne potuerit quidem, si voluerit.

Carminibus ergo quæ Paulinus intra annum circiter CCCLXXXIX, annumque CCCLXXXXV composuisse videtur, Matutina scilicet Precatione, Psalmis tribus, poemate de Johanne, et apologia contra Paganos, « superbiæ scholam, ut ait Augustinus, adhuc anhelantibus » Natalicia contra, quæ annis Nolani otii provenere, simplicitate majori excellunt. His enim annis nihil jam e prioribus studiis Paulino præsto fuisse

1. *Psalmus*, I; *Carm.*, X; *Carm.*, XXI; etc.
2. *Carm.*, XVII, ad Nicetam.

existimo, nisi vacuum quo pridem se exercuerat verborum et metrorum [1] usum. Fateor quidem eum, cum minime is esset, qui nova procudere auderet, nunquam in eam mentem venisse ut Ambrosii Augustinique instar populo imprimis morem gerendum esse a christianis scriptoribus putaret, et quo melius cuncti intelligerent, metris tantum popularibus, dimetris iambicis, sicut Ambrosius, aut etiam versibus in trochaici tetrametri modum potius accentuum vi quam syllabarum quantitate confictis, quos Augustinus usurpavit, uteretur. In contione de Gazophylacio [2] habita, quam plebi potissimum destinatam candido et simplici sermone conscribere voluit, pessime ei res cessit, licet nonnulli affectatam reipsa et incallidam oratiunculam nimis extulerint; neque nisi qui inopinata et portentosa asserere gestiet eum ut virorum eruditione qua ipse eminebat præditorum laudes assequeretur aliquantisper optavisse negabit. Caveam tamen ne, quanquam, quæ viget pæne apud omnes qui adhuc de Paulino disseruere, sententiam cum sic loquar, impugnem, eum, nulla adhibita condicione, eorum numero adscribam qui in nulla alia re magis elaboravere nisi ut gentilium oratorum, Hieronymi more, poetarum, Prudentii ritu, famæ æmularentur. Etenim multo melius quam isti omni ambitiosa litterarum ostentatione integer atque liber fuisse mihi

1. Nataliciis adjungere licet Epithalamium Juliani et Iæ, et Consolationem de obitu Celsi pueri. Carmen vero ad Jovium (XXII), veluti epistulam ad eumdem missam, ob eam rationem quam jamjam indicavi, seponendum esse credo. Theodosii autem Panegyricus, ab Hieronymo (*Ep.*, LVIII, 8) tantopere laudatus, ut verisimile est, artem quam maxime redolebat, et eximia cura limatus erat.
2. *Ep.*, XXXIV, Mignii.

videtur, et in Nataliciis parum artificiorum et lenocinii reperio. Quotannis enim cum, ut optime locutus est, carmine novo in honorem Felicis « vernaret [1] », sane accidit ut interdum, materia scribenti minus abundante, in condendo poemate aliquo [2] magis solito sudaverit, at sæpius ex imi cordis arcanis fontibus quæ cecinit haurire ei contigit, eaque non tam ficticia eruditionis Paulini miracula quam naturalem eximiæ sanctitatis fructum vocare possis.

Sed nunc ad rem gravissimam veni, ex qua, meo sensu, quæcumque tuleris de Paulini carminibus Nolæ compositis judicia pendere debeant : Paulini dixi sanctitatem. Inter ceteros enim quicumque apud christianos poeticæ arti indulsere, non alia magis virtute conspici eum crediderim quam ea quam christiani sanctitatem vocaverunt. Sane arduum foret et temerarium, cum tot viri tam diversa indole præditi pariter Sanctorum laudem assecuti sint, quid in summa tali vocabulo significari putes minutius et strictius definire. Si tamen et quo præcipue sensu apud vulgus valeat memineris, et quibus præcipue meritis Christus ipse, totius christianorum disciplinæ artifex et magister, eminuerit, revocaveris in animum, licuerit forsan aliquid in quæstione subtilissima adumbrare. Nempe eum sancti nomine imprimis ornaveris apud quem primum candorem natura insitum agnoveris, et ingenuam simplicitatem miratus sis. Optabis etiam ut

1. *Carm.*, XXI, 198 :

> Videamus ergo quid mihi hoc anno novum
> Attulerit, unde vocibus vernem novis.

2. Habes confitentem reum initio carminis XX.

pleno caritatis fonte abundet, et luceat in eo « vivax flamma et ardens facula » amoris, quo qui amat : « volat et currit [1], et lætatur; liber est et non tenetur ». Idcirco velis eum esse misericordem, leniendisque aliorum malis intentum. At non maxime curabis ut ingenti ingenii vigore præpolleat; gratissime contra videbis circa nugas dialecticorum parum sollicitum, theologorumque lites vel tacito, tamen penitus fastidientem. Quem si talem inveneris, alacrem eum esse et hilarulum mox experieris. Quippe viro cupidinibus purgato et cælestia tantum meditanti totus pæne divino lumine habitus renidet, et involitat capiti, tanquam apex, vestiens vultum purior aer, ut quem christiani vocaverunt « nimbum » jam deprehendere libenter hallucineris. Talem, credo, plerumque fuisse (cum multiplicem sane, et ceterum posteriorum fama obscuratam, qualis in summa fuerit, naturam nemo sit qui in lucem ferre valeat), Jesum facile suspiceris; talem Franciscum illum Asisinatem, Umbrorum decus, eximio Flosculorum [2] quem nosti libro, vixisse comperias; talem monachum qui libellum de Imitatione Christi concinnavit, licet vel nomen ejus ignores, nulla dubitatione tibi fingas; talem denique, ut aliquem e quarti sæculi temporibus excerpam, sese ad exempla evangelica unice conformantem, Turonensem Martinum e dialogis Sulpici Severi noveris; et, cum, eam, quam adumbrare tentavi, imaginem neque Prudentio, neque alii cuiquam inter christianos litterarum latinorum poetas convenire existimem, Paulini

1. *De Imitatione Christi,* III, v (De mirabili effectu divini Amoris), 4.
2. Nempe qui Itala lingua audit : « Fioretti ».

unius, vel iis ad quorum exemplar eam formavi multo imparis, tamen eam aliquo modo esse affirmaverin.

Simplex enim et modestus cum vel in scholis superbia plenis fuisse videatur, quanto mox candore Nolæ degens eminuerit Natalicia cuncta testantur, quibus de se ipso tam sæpe et tam conspicua ingenuitate usus, locutus est, nihil occulti, nihil secreti ex iis quæ ad propriam vitam pertinent esse patiens. Nec non iisdem discimus quantopere miserias hominum pauperum [1] et calamitates ut levaret studuerit. Quin Uranius presbyter nos docuit quantis beneficiis Nolanos cumulaverit; quam rara comitate et benignitate mira in episcopatu [2] se gesserit; quomodo « rapuerit [3] divitibus ut pauperibus erogaret »; et non solum Christianos, verum etiam Judæos atque Paganos « ingenti fletu, scissis etiam vestibus, ad ejus exsequias convenisse, ereptum sibi patronum, defensorem, tutorem una omnes voce planxisse [4] » affirmavit. Et amicitiis indulsit illustribus, « veris necessitudinibus [5] », ut ait Hieronymus, « Christi glutino [6] copulatis », quibus non minus quam commercio olim cum Ausonio conjuncto honestatus est, nihilque nos magis movet quam nobilissimum carmen quo sese ipsum tot et tam claris amicis circumdatum ostendit, aut plena affectibus epistula qua quomodo Melaniam ex Oriente redeuntem Nolæ acceperit Severo narravit [7]. Festiva quoque quadam

1. Præcipue *Carm.*, XXI, Uranius ad Pacatum, 3. — Buse, I, 153.
2. VII.
3. VIII, 3.
4. IX.
5. *Ep.*, LIII, 1.
6. XXI.
7. *Ep.*, XXIX.

alacritate vigebat, neque salibus semper parcebat, quales solent esse clericorum aliquantisper insulsi at nihilominus amabiles joci, quibus Cardamatem aut Victorem[1] interdum lacessivit, veluti Ausonius leviter irridebat Theonem. Ceterum eum plane felicem, quomodo Sanctum decet, quis non intelligit ex hujuscemodi versibus :

Quid simile his habui cum dicerer esse Senator?
Qualia nunc istic habeo, cum dicor egenus.
Ecce mihi per tot benedicti martyris aulas
Et spatiis amplas, et culminibus sublimes,
Et recavis alte laquearibus ambitiosas,
Inriguas et aquis, et porticibus redimitas,
Undique, ubique simul, quodcumque per ista beati
Nomine Felicis colitur, celebratur, habetur,
Omnibus in spatiis domus est mea [2]...

Quid quod ne iis quidem quæ sanctorum virtutibus inhærere contendi, quæ vero dicere vitia in talibus viris nonnihil pudet, caruit, theologicis[3] argutiis parum exercitatus, et credulitate nimia laborans, neque subtilius Felicis aut aliorum opera quæ effecta esse putabat miracula[4] explorans et pensitans quam Severus tot portentosa Martini facta congerens excutiebat. Quæ si cuncta recolueris, quam plane sanctitatis laudem meruerit Paulinus nemo negabit.

Ex iis autem Paulini virtutibus credam orta esse et quasi radices egisse quæcumque magis in Nataliciis

1. *Ep.*, XVIII, 4; XXVIII, 1, etc.
2. *Carm.*, XXI, 458 sqq.
3. Cf. *Hist. litt. de la France*, II, 187, 188.
4. Cf. pæne cuncta Natalicia, præcipue tamen *Ep.*, XLIX (de Valgio, Victore), et *Carm.*, XXIV (naufragium Martiniani). — Uranius, III, 4. — Gennadius. (49, p. 93.) Herding : Claruit (Paulinus), potentia ad versum dæmones.

miramur. Quia enim, qua erat simplicitate, plebeios homines humilioresque non fastidivit, at contra singulariter respexit et dilexit, optime res ei cessit, ut clarissima tantum exempla attingam, narratiunculas istas excudenti, quibus rusticos agricolarum mores, et « pias ab ineptis[1] supplicibus preces » non sine arte[2] effinxit, in exprimendis affectibus personisque efficiendis non imperitus, Prudentioque multo major, in hac parte nimis turgido et nonnunquam ridiculo. Ob eamdem sane causam singula quæque carptim enarrare, et vilioribus verbis interdum uti, minus eum pudebat quam rhetores profanos gentilesve poetas pudere solebat. Quæ quam curiose animadvertenda sint senties si carminis XXI leges partem illam qua restitutum Nolanum aquæductum narravit, et « trepidas tota de plebe catervas » mane novo ad opus concurrere ostendit :

Et sub fasce gravi cophini cervice subacta[3],
Cæmentisque simul dumosa per ardua vectos,
Sole sub ardenti crebros iterare recursus,
Et tota quam longa dies æstate moratur,
Tendere ab aurora seras in vesperis horas,
Pervigilesque animis, modica vix nocte refectis
Corporibus, rursum ante diem fabrilia ad arma
Surgere, nec sentire Deo vegetante laborem.

Nam, cum forte objicere possis fuisse Ausonio quoque frequentem curam ut minuta et humilia quæque tamen apto et proprio sermone notaret, atque in « Mosella[4] »

1. *Carm.*, XVIII, 466, de quibus narratiunculis, cf. G. Boissier venustissime disserentem, *l. c.*, p. 79.
2. *Carm.*, XVIII, præsertim.
3. XXI, 719 sqq. — Cf. etiam XXIII, 174 sqq.; 111 sqq.; etc.
4. 49 sqq.; 261 sqq.; etc.

præcipue hujusce generis locos reperiri, tamen, si propius rem consideraveris, non dubito quin quæ in Nataliciis prima specie similia solitæ Ausonii arti judicare potueris plane diversa esse mox tibi constet, cum apud Paulinum omnia multo leniorem suavitatem et molliorem affectum redoleant, et naturali magis quam fucato decore eniteant. Nec non insigni Paulini sanctitatis munere provenisse existimo quæcumque ejus orationem venusto lepore et audacioribus, quas rhetoricæ artis periti vocant, translationibus illustrent. Etenim est suus sanctitati quem dixi poeticus decor, quem sancti nomine digni viri non minus sermo redolet quam eo habitus renidet [1]. « Nihil enim est aliud », ut ea ipsa repetam quæ mire invenit tum sanctitatis, tum poetici ingenii peritissimus æstimator et ipse particeps Meldensis noster episcopus, « nisi flos caritati insitus, qua, cum interiorem mentem adimplerit, totus dein habitus diffunditur, simplicem expertemque fuci leporem, temperata suavitate, divinisque affectibus conditum, anhelans ». Illum vero florem, cælesti odore delibutum, eo magis in Paulini carminibus miraberis quo posteriora leges; et quo ulterius in ἄσκησιν procedebat, eo puriori lumine et clariori ea spargebat, cum eximia beatitudine difflueret, qua elatus, exclamabat :

Exsultet mea nunc anima [2], dicatque quod olim
Sponsa canebat amans, Domino vocalis amanti :

1. Bossuet : « Ce n'est pas autre chose, mes chères sœurs, que la fleur de la charité, qui, ayant rempli le dedans, répand ensuite sur l'extérieur une grâce simple et sans fard, et un air de cordialité tempérée qui ne respire qu'affection sainte. » (*Panégyrique de saint François de Sales*, prononcé chez les religieuses de la Visitation.)

2. Textum hujus loci, qualis editur, mendosum esse verisimile est.

Imber abit, discessit hiems, vox turturis altæ
In nostra tellure sonat, dat vitis odorem,
Floridaque in terris miramur lilia cœli [1].

Eximia certe eadem virtute nonnunquam Natalicia eminent, quam, multo majorem quidem frequentioremque in Evangeliis, aut in illis quos attuli, Flosculorum Imitationisque Christi libellis admiramur.

Equidem non oblitus sum quibus contra vitiis Natalicia squaleant; primum, credo, orationem aut metrum offuscantibus mendis quas neglegentia fudit, cum quicumque christiani facti erant minus circa talia attenti essent; ineptiis quoque in modum mysticarum similitudinum, quibus Ambrosius indulgebat [2], elaboratis; jocis interdum vulgaribus; puerili quoque inanitate et nonnunquam humi serpente simplicitate. Verum suum est humilitati illi præmium, sua hujuscemodi paupertati singularis dos; et, cum ceteri qui christiana poemata quarto sæculo condiderunt ambitione nimia laboraverint, pluris æstimatur et clarescit melius felix cui acquiescimus Nolani episcopi vilitas.

Iis vero quæcumque de Paulini sanctitate, et præcipuis Nataliciorum virtutibus diutius exposui, non tam inductus sum ut commercii quod cum Ausonio junxit communiumque quibus ambo vacavere studiorum óbliviscerer, et procul a proposito meo removerer, quam potius quasi necessario deverticulo in speculam perveni unde totam, quæ inter Paulinum Ausoniumque intervenit, rationem deprehendere, vitamque utriusque et artem quæ fuerint uno in cons-

1. *Carm.*, XXVII, 156 sqq. (anno, ut videtur, CCCCII exarato).
2. Cf. exempli gratia, *Ep.*, XXIII, nec non multo in *Carm.*, XXIV.

pectu intueri liceat. Eo enim magis qua ingenuitate et quo candore Nolæ Paulinus excelluerit, in lucem proferre avebam, quo melius quam plane prioribus moribus renuntiavisset probarem, quamque absolute Ausonii præcepta abdicavisset; et, cum rem ita cessisse elaborarem ut ostenderem, gestiebat animus eam legenti sententiam injicere, ut Paulinum eo facilius eoque libentius in talia oblivia incurrisse opinaretur, quo melius acriusque ipsis quæ tamdiu coluerat studiis impulsus et paratus fuerat. At videsis propius quid ambagibus istis significem. Nempe jam primùm perspeximus quam levi et manca litterarum Græcarum etiamque Latinarum notitia ab Ausonio institutus fuerit; certe minus ea quæ sensissent reipsa veteres poetæ, aut cogitavissent philosophi, perceperat, at sæpius et pæne dicas unice orationis ubertatem, splendorem, castitatem, venustatem quibus enituerant, sub tali magistro miratus et æmulatus erat. Augustinus quidem iis quos Vergilius expressit affectibus, Æneidem legens, æstuabat, et dubius cum Ænea hærebat, et furebat cum Didone; patebatque cuique cupidini pervius animæ ardentis, avidæque et multiplicis aditus. Ergo non sine tumultu et cruciatu alto tantis illecebris sese eripuit et avulsit; posteriusque exclamare potuit : « Revocat me recordatio mea, et dulce mihi fit, Domine; confiteri tibi quibus internis me stimulis perdomueris, et quemadmodum me complanaveris, humiliatis collibus et montibus cogitationum mearum, et tortuosa mea direxeris, et aspera lenieris [1]. » Phi-

1. *Conf.*, IX, 4, 7.

losophorum quoque laqueis quamdiu et quam graviter irretitus fuerit nos docuit ipse. Quippe Hortensium Ciceronis aut dialogos Platonis non ob latinæ tantum facundiæ copiam, aut attici acuminis elegantiam, verum ob rerum magnitudinem vimque sententiarum toties perlegerat. Idcirco fassus est ex his scriptis se adeo commotum evasisse, ut putaverit futurum fuisse ut, si postquam Scripturarum studio vacaverat, in philosophorum placita demum incidisset, nedum philosophis prius, posteriusque solum Evangelistis Prophetisque sese applicavisset, ægerrime passus esset Scripturarum vilitatem forsanque in Ecclesia se continere non valuisset [1]. Quin Hieronymus ipse, vel ingenii acie et vigore Augustino multo impar, et frequentius circa verborum nugas sollicitus, num putas potuisse fieri ut tam vastis procellis fluctuaret, et sese in tribunal Christi raptum Ciceronianumque potius quam Christianum vocatum esse somniaret, nisi Donatus eum tam altis atque uberibus eruditionis fontibus imbuisset, et quasi divinæ particulam auræ, quæ antiquis gentilium litterarum scriptoribus fuerat insita, in eum transfudisset. Verum Ausonius ea semper quæ potissimum apud veteres Græcos prioresque Latinos admiratione et imitatione digna essent, omnino ignoravit, et temporibus Socratis aut Ciceronis ætate quam quasi pleniorem et saniorem vitam homines vixissent, quam altiores et acriores sensus experti essent, quam graviore et præstantiore vi mentis excelluissent nequaquam intellexit. Scilicet Vergilium

1. *Conf.*, VII, 20, 1.

legit ut Vergiliana verba hemistichiaque furaretur, Homerumque ut homericas voces latinis vocibus commissas adigere in ridiculos versus posset, quibus sibi liceret sese « frigdoποιήτην », aut « gelidoτρόμερον Μουσῶν [1] θεράποντα » justissimo quidem ludibrio appellaret. Discipulos igitur cum non ad alia nisi ad futilem orationis copiam inanemque metri facilitatem informaret, Paulino, quoad neque longius neque celsius magistro intendere mentem conatus est, mansit tanquam vacuus et nudus animus, cum inopi verborum farragine satiari nequiret, eoque avidius tanquam novum et validum pabulum sorbuit quo exiliori pridem hebetiorique altus erat. Itaque factum est ut ne tam violentis certaminibus quam Augustinus Hieronymusve jactatus sit, et litteras citius commodiusque ejuraverit quarum non plane senserat quæ fuisset [2] vis, magisque pietate erga magistrum quam ipso priorum studiorum amore aliquandiu tardatus esse videatur. Id circo si rem ita provectam in hunc exitum processisse memineris, intelliges ab Ausonio invito quidem et inscio, cum Paulinum institueret, Christo venienti paratam viam fuisse; assenties, non eo quidem sensu quo ipse locûtus erat, Paulino veterem magistrum laudanti eique gratulanti :

> Cujus « præceptis partum est quod Christus amaret [3] »,

neque miraberis inter christianos latini nominis poetas non ambitione maximum, verum ingenio candidissi-

1. *Ep.*, XII (Axio Paulo), 5-7.
2. « Aspernare leves maturo corde Camænas » ut ipse Jovio dicebat, *Carm.*, XXII, 16.
3. *Poema*, X, 146.

mum et felicissimum ex inanibus egelidorum rhetorum ludis prodiisse. Quamobrem existimavi mihi, nisi diuturnam Paulini Ausoniique consuetudinem explicarem, et quomodo orta, tracta, ruptaque fuerit ostenderem, non futurum esse ut alia via melior occurreret, quam ingressus Nolani episcopi amabilem effigiem, qua mihi liceret similitudine, exprimerem, pari, ut puto, gressu, tum in sanctitatem, tum in poeticam non tam artem quam virtutem, mortuo Ausonio, provecti.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV. Kal. nov. ann. MDCCCLXXXVI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
Gréard.

SUMMA

Coulommiers. — Imp. P. BRODARD et GALLOIS.

COULOMMIERS. — IMP. P. BRODARD ET GALLOIS.